FRANCISCI IVNII

ACADEMIA.

LIBELLVS HOC TEMPORE IUVENTUTI STUDIOSAE UTILIS ET necessarius, in quo ex linguarum & priscæ variæque historiæ monumentis, ortus Academiarum, genera, & partes, itémque studiorum & honorum gradus quos Academiæ observant, & quæ eo pertinent, exponuntur.

Ad calcem adiectus est

ACADEMIARVM TOTIVS EVROPÆ, seu orbis Christiani

CATALOGVS.

HEIDELBERGÆ,

cIↃ. IↃ. XXCVII.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, ET DOMINO,

D. FRIDERICHO, PALATINO COMITI ad Rhenum, Electoralis Palatinatus hæredi, Bavariæ Duci, Rectori magnifico Heidelbergensis Academiæ, Domino clementissimo, Gratiam, pacem, & salutem a Deo Patre & Domino Iesu Christo.

DVÆ fuerunt causæ, Illustrißime Princeps, Rector magnifice, eæq; pergraves (nisi me animus fallit) quæ me ad exarandum hoc breve σύνταγμα his paucis diebus adduxerunt: juventutis studiosæ commodum, & hujus Academiæ. Etenim quæ res juventuti in studiorum suorum ratione sit commoda, utilis, atque salutaris, majores nostri providerunt sapientißimè, legibúsque optimis procuraverunt: quid Academiæ huic nostræ sit necessarium, nos omneis docuit proximi superioris anni calamitas. Ac commune quidem bonum hujus Academiæ nostræ existimationemq; in eo maximè versari constat, ut doctißimis viris omnique doctrinarum genere instructa, sanctis legibus circummunita, potentißimorum Principum & patronorum (quorum in numero est C. T.) præsidio firmata perstet, omniq; instrumento suo aptè occupato & collocato sanctè legitimeq; gubernetur: hoc vidit antiquitas, hoc nostra tempora experta sunt, & boni sentiunt. Quæ omnia si per Illustrissimum Principem, heroëm fortißimum, D. IOANNEM CASIMIRVM, *patruum ac tutorem tuum, Dominum nostrum clementißimnm, & per T. C. assequimur, (assequimur autem, & in dies magis ac magis assequemur) optimè cum hac celebri Academia actum iri per Dei gratiam & benedictionem confidimus. Studiosæ verò juventutis commoda, quum certa via & ratio in*

studiorum cursu legibus præscribitur, disponuntur gradus, honores tribuuntur, & facultas sua iis qui ad honoris fastigium aliquod fortiter conscenderunt, honestè decernitur, illius ergo commoda ex priscis illis & laudabilibus Academiarum institutis optimè procurari, & summa cum laude atque incredibili fructu promoveri, jamdiu ipsa quoque experientia commonstravit luculentissimé. Qua quidem via si juventus pietatis & eruditionis amans, fidem habens majorum institutis præceptorumq; suorum hortationibus, ad metam aliquam legitimè vellet contendere, sperarem omnino fore, ut plures solidè docti & verè utiles Ecclesiis Rebúsquepub. exsisterent. Pauciores certè stulta scientiæ & eruditionis persuasione properè inflati, velut folles vento, sese turpiter daturi essent (ut αὐθάδεις homines sunt θανάτῳ ἔγγιστα) & per ἀπειρίαν navigationis suæ, naufragium facientes alios secum in periculum naufragij ejusdem abriperent. Nam quemadmodũ olim dicebat Euagrius, τὸ σπουδαῖον ἐν νέῳ εἶναι ἐχέγγυον τοῦ ἔντιμον ἐν γήρᾳ ἔσεσθαι, sic cõtrà τὸ κενόσπουδον ἀτιμίας ἐχέγγυον. Hîc verò plurimùm judicia variant. Nam qui juvenes sunt, gravia esse in Academiis hæc legum præscripta putant: viri graves inania ducunt atque levissima: sic ab omnibus fermè negliguntur in hoc tempore, quæ prisco illo seculo studiosissimè religiosissimeq; colebãtur. Quid est autem, obsecro, in hac re tota, quod videri usq; adeò grave juventuti possit? An quòd studia quasi cancellis discribuntur? at hoc imperitis & imprudentibus (peritiam verò prudentiamq; juvenis quis sibi arroget?) utile est ac necessarium: si non credunt, saltem nauticam, vel tectonicam, vel sutoriam consulant, & observent quid quis præstare possit commodè sine lege & modo tyrocinii. An quòd gradus honorum ex studiorum modulo dispositi fuerunt legibus? at hoc juventutis optimum est (ut Ambrosii utamur voce) incentivum, præmium cursus præteriti, futuri incitamentum, ne quis fortè in specie potiùs aut præsumtione eruditionis quàm in re & veritate conquie-

scat,

scat, fiduciaq; alicujus scientiæ ridendam propinet omnibus inscientiam suam. An denique illud, quòd ceremoniæ quædam & symbola ex præscripto legum in Academiis adhibentur? Atqui humana sunt symbola, non ex damnabili superstitione ulla, sed ex hominum instituto & conventione profecta, a superstitione aliena, & citra superstitionem à viris bonis observata: eaq; aut labores studiorum perfunctos, aut præsentem scientiæ fructum, aut facultatem & τὸ ἱκανὸν (quod vocant) in justis functionibus cum laude capessendis & percipienda earum commoda significāt. Quid horum juventus cum ratione potest eludere? Equidem non putaverim (ut singula hæc percurram paucis) iuvenes virtutis, humanitatis, & purioris doctrinæ studiosos id subterfugere, ne anteacti labores sui in studiis testificatione publica innotescant. Studuerunt enim, ut innotescerent, & scientiam suam in bono cōmuni occuparent. Si non, quid miserius thesauro in terra fosso, & otioso bono? Quòd si alienam, & quidem præceptorum suorum aut Academiarum in quibus vixerunt doctorumque hominum testificationem nolunt, duo velim reputēt cum animis suis: unum quotusquisque sua singulari opera (quam laudamus certè & admiramur) commodè innotescat, ut pro facultate & dignitate ad ea quibus dignus est, judicio publico provehatur: alterum (ut demus ipsos latêre posse, aut suam operam ubicunque visum fuerit, suo potiùs judicio quàm alieno consumere) qua fide optimæ Academiæ id perferre poßint, ut qui rebus gravioribus apti comperti sunt, sordescant in tenuioribus, & a communi bono abstineant, hoc solùm nomine quòd illi homines testificatione publica non fuerint commendati, & de ludo in arenam militiamq; detrusi aut forensem, aut Ecclesiasticam. Si præsentem virtutis suæ & scientiæ fructum, id est, honorem meritum, detrectant carpere, agnosco modestiam singularem, laudo, & colo, & veneror: sed quanto hoc ipsorum judicium publico judicio præstet, nondum videre possum. Nam hoc ipso quòd ab isto honorum genere abstinent, honorem

quem debent præripiunt ſuis præceptoribus & Academiis, per quas profecerunt. Quid plura? ſunt ingrati in benemerenteis, dum ſibi gratificantur hujus modeſtiæ nomine, ubicunque hæc ratio ἀχαριστίας legibus eſt imperata. Si autem (quod poſtremo loco dicebamus) ipſi facultatem ſuam reipſa magis cupiunt oſtēdere, & functiones commodáque aſſequi per ſe & labore ſuo quàm aliena commendatione, duobus modis errant non mediocriter. Primùm enim (quod vulgo dici ſolet) non eſt per plura faciendū, quod per pauciora poteſt: ſuperfluo autem labore ſeipſos cumulāt, qui ſuo Marte enituntur, ut in conſilio, in foro, in plebe valeant omiſſa Academiarū teſtificatione: præſertim cùm vix cōſilium ullū ſine fumo, forū ſine invidētia, plebs ſine imperitia in judiciis cōſtare poſſit. Deinde ſi re ipſa oſtendere cupiunt qui viri ſint, hîc ubi ipſis gymnaſiū fuit facultatū, hîc inquam palaſtra facultatū eſt, hîc moderatores certi ac periti ſtudiorum, hîc agonotheta, hîc exploratí facultatis καὶ τῆς αὐτῶν ἱκανότητος arbitri: hîc licet ipſis decurrere, hîc nervos animi contēdere, hîc omnibus modis qui erūt opus, induſtriā peritiámq; ſuā apud peritos & incorruptos judices ac teſtes exponere. At abhorrēt fortaſſe juvenes iſti, velut Catones, a nugis & ceremoniis. Atqui ne Catones quidem ipſi a functionibus in Repub. ſuſcipiendis, & ab earum ſymbolis abhorrebant. Civile inſtitutum eſt, civilis honoris, dignitatis, præmiorumq; civile documentum, lege & more receptum, ſuperſtitionis expers. Quæ cùm ita ſint, quid eſt quod juventus pia, virtutis & politioris doctrinæ ſtudioſa, ex animo horreat, reprehendat verbis, aut factis refugiat tantopere, ſi rem ipſam introſpexerit expenderitq; diligentiùs?

Ad alios veniemus graveis ætate, doctrina celebreis, autoritate præſtanteis viros, qui pietate, doctrina, judicio, peritiaq; ſua perſpecta apud omneis clari, judicant hæc inania, levia, tricas apinas eſſe. Hi duobus telis plurimùm videntur ſibi iſtas Academiarum noſtrarum leges confodere: rationibus & exemplis.

Rationibus

Rationibus, quia plurima sunt inquiunt, superflua & puerilia, abusus multi, omnia profecta a Pontificiis. Exemplis, quia contemsit Basilius magnus, aliiq́ magni & præstantes viri, prisca Patrum, majorumq́ memoria & nostra. De his, quam brevissimè fieri a nobis poterit, videbimus. Primùm ergo objicitur multa inesse superflua & puerilia. Nego aut superflua esse, aut puerilia, quæ legitimè & suo tempore observantur in Academiis, sine superstitione & injuria ulla. Nam superflua sunt ac puerilia, quæ aut reipsa ita sunt, aut significatione. Hæc autem propriè neque reipsa superflua aut puerilia, neque significatione dicenda sunt. Quis enim studiorum metas, gradus, honores, probationes, testimonia solennia in scholis & Academiis superflua & puerilia esse putaverit? quas res illi ipsi graves & præstantes viri, si liberos instituunt, in familiâ servant: si scholas servari inter pueros & adolescenteis jubent, iis quas vocāt promotionibus, & honorariis studiorum inter promovendum præmiis honorificè liberaliterq́ constitutis. Quinetiam novi de illo ipso summorum doctissimorumq́ hominum (quos colo) numero, qui non raro apud me & alios conquesti sunt, & cum animis suis sæpe multumq́ dolēt, quòd iusto illo studiorum ordine quasi per gradus ad altiora non fuerunt ducti, sed confusè perturbateq́ instituti olim, posteà incredibili labore suo tandem eò pervenerunt, quò ludibundi fermè (prout ingenio valent) pervenissent, si tantum bonum, quod lege Academiarum cavetur, ipsis contigisset. Deinde verò (ut aliquid dem oppugnantibus legem & ceremoniam) fateor eamdem rem suo tempore neq́ superfluam, neque puerilem esse, quæ alieno tempore supervacanea & puerilis futura esset. Exempli causa, ridicula futura est promotio primanorum in Pædagogiis, si ultimis tribuatur, vel contrà: ita promotio Doctorum ineptè iis tribuatur qui Baccalaurei ad summum creandi & renunciandi sunt in Academia. Atque hæc vera est ratio, qua homines sanè non indocti falluntur, quum de summis gradibus & symbolis eorum judicant. Falsùm enim

axioma illud est, si summis viris superflua sunt hæc videntúrque puerilia, continuò purè simpliciterq; puerilia & superflua dici oportere: quod proximè præcedentia exempla evidentissimè arguunt. Sint sanè illis Coryphæis supervacanea in se, & puerilia videantur: attamen neque instituto legis puerilia aut superflua sunt, neque iis qui ex lege decursa studiorum suorum via ab Academiis reportant testimonium, neq; iis postremò qui ad eumdem cursum hac testificatione solenni provocantur. Quorum causa æquius esse id semper duxi, ut doctissimi viri causa publici ordinis legibus publicis, ubi latæ sunt atq; opus est, obsequantur, quàm ut propter se de jure publico & more non malo derogatum velint. Iam verò quòd abusus multi in hac re obiiciuntur nobis, non est de nihilo. Atque utinam omnes boni in Academiis ὁμοθυμαδὸν operam darent ut omnis abusus facesseret, atque id solùm quod necessarium, quod ἄκακον, quod legitimum est, obtineret. Sed usum rei legitimæ ne illi quidem virtute & eruditione præstantes viri propter indignum abusum illius tollendum esse contenderint. Quidni autem? dixerit quispiam: ista enim sunt a Pontificiis ad nos derivata. Esto sanè: ut dem a Pontificiis manavisse ista, an verò quicquid boni, quicquid honesti, quicquid ordinati a Pontificiis habemus acceptum, id propterea sumus rejecturi, quia fluxerit ex Põtificiis? Quin potiùs quicquid boni, honesti, & ordinati apud se habent Pontificii, id cõmune habeamus cum ipsis, si ferũt: si non ferunt, servemus saltem æquè ac illi, & retineamus ad commune bonum. Verùm non ita est ut opinio est illorum: nam hæc a majoribus, a Carolo Magno & sapientissimis Principibus, aliis per Pontificios ad nos transmearunt. Nos autem siquid bonum est in Pontificiis, siquid bonum & utile per Pontificios defluxit ad nos, absit ut idipsum insano Pontificiorum odio abrepti depellamus. Siquid ἀνοικεῖον Academiæ, siquid abusione, si superstitione contaminatum est, id per nos tollatur licet: nihil tergiversabimur. Sed rem sanctè constitutã utiliterq; observatam iniquum est

propter

propter abusum damnari, ubi instituta est: durum, propter opinionem quorundam negligi. Iam verò quid ad exempla dicturi sumus? Publicas leges a Basilio magno contemtas aut omissas fuisse non memini. Id quidem memini legere, & ita Nazianzenus refert, illum cum admiratione omnium legitimo examini satisfecisse Athenis pro eruditione sua: posteaquàm verò (ut idem refert) omnes viderunt τὸ τοῦ ἤθους αὐτοῦ στάσιμον, καὶ τὸ ἐν λόγοις καίριον, τί γίνεται; μόνος σχεδὸν τῶν ἐπιδημούντων τὸν κοινὸν διέφυγε νόμον, κρείττονος ἢ κατὰ νέηλυν ἀξιωθεὶς τιμῆς: ut inquam animadverterunt constantiam morum in eo, & sermonum commoditatem, quid tandem factum est? solus ferè eorum qui Athenis agebant liber fuit a communi lege, & ampliore dignus honore habitus quàm novi advenæ haberi solent: *quomodo autem? quia non fuit ut cæteri, cum pompa traductus per forum, clamoribus exceptus, deductus in balneum, &c. sed simpliciter κατὰ τὸ δόγμα φιλοσοφικὸν (ut illi vocabant) consalutatus Magister seu Doctor philosophiæ. Superavit ergo Basilius non refugit ista, quæ legitima fuerunt, cum autoritate præstans; quæ ludicra, autoritate & gratia diluens. Quid vetat, quominus idem a viris bonis ætate doctrinaq; præditis, in Academia quaque optima retineatur? De viris bonis atque literatis, siquando vocantur ad Academias, judicium idem. Sua causa ne faciant sanè, neque facturi sint: at legum publicarum causa, exemplíq; publici tamen facturi sunt, ne dum ritus humanos graviter sibi vidintur fugere, morosè (ut ita dicam) superstitiosi homines ducantur esse. Certè non invenustè illud de Academiis, earumq; in studiis humanioribus ordine præstituto a nobis prædicari apud juventutem potest, quod ille olim de sua Ithaca,*

> Τρηχεῖ', ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος, οὔτι ἔγωγε
> Ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.

quam rem his licentiosissimis temporibus nostris juventus studio-

ſa vix vnquam creditura eſt. Cùm itaque animadverterem non mediocriter hac in re utrobique peccari; tum quòd juventus noſtra ἔμπληκτος παρακινδυνεύει ἀλόγιστος, καὶ ἀχαλίνωτος fertur'q́; in ſtudia ſine lege, ſine ordine, arbitratu ſuo, id unum ſibi in primis gratulans ſi vivere poteſt ἀνυπεύθυνος; tum quòd Academiarum ſanctarumq́; legum indignè concidit autoritas in hac ſtudiorum confuſione & temporum, niſi Deus de cœlo proſpexerit, & omnes boni ſe ad laudatum hoc ædificium opera ſua, labore, induſtriaq́; ſtatuminandum & ſurrigendum contulerint: non alienum ab officio meo putavi fore. ſi ea quæ de Academiarum ortu, legibus, effectis, cauſis γενικῶς ſimpliciterq́; dicenda videbantur, in σωμάτιον aliquod unum compingerem, & a præpoſteris adeoq; iniquis multorum judiciis. pro eo ac poſſum, opella mea vindicarem. Hanc verò, cuicuimodi eſt, Illuſtriſſime Princeps, viſum eſt T. C. & M. προσφωνεῖν multis nominibus. Nam primùm eadem ſtudia pro tua ætate colis ſtudioſè quæ colunt Academiæ: præterea honorem ſummum hoc anno (qui quartus ipſi Iubilæus eſt) huic Academiæ habuiſti, quum faſces ipſius ſubmiſſè tibi oblatos non es dedignatus es clementer ſuſcipere: poſtremò autem hoc ipſum qualecunque officium quodam jure ſuo flagitare a me viſa eſt Academia, ut palàm teſtatum fieret, illud ipſum vulnus quod incredibili dolore noſtro & adverſariorum lætitia ſibi fuerat impoſitum ſuperiore anno, jam te Rectore hoc anno depoſitum & curatum eſſe, tuámque C. & M. (quod ſanctè pronunciabas nuper) omnibus & votis & officiis hùnc noſtrum ordinem & Academiam ornare velle. Hæc vota, ſponſiones, officiáque gratioſiſſima T. C. & M. recordatus, cum animo meo lætor, nobis gratulor, agnoſco palàm, & apud omneis prædico, tuæq́; C. & M. gratias immortaleis habeo, cùm meo ipſius nomine, tum ordinis totius noſtri & Academiæ: Deumq́; oro æternum Patrem æterni & ὁμοουσίου filij Ieſu Chriſti Domini.

Domini & Servatoris noſtri, a quo omnis bona donatio proficiſcitur, cæleſti benedictione ſua velit efficere, ut T. C. & M. firmiſſimo ſit præſidio huic Academiæ, & hæc viciſſim tibi ornamento quàm diutiſſimè ad gloriam ſuam & commune bonum patriæ, Eccleſiæ Chriſtianæ, & Reipublicæ. Amen.

T. C. & M.

Seruus ſtudioſiſſimus
FRANCISCUS IUNIUS.

FRANCISCI IUNII

ACADEMIA.

CAPUT PRIMUM.

De origine vocis Academiæ.

ACADEMIAE nomen Athenis primùm inclaruisse apud omnes ferme autores convenit: sed dubia controversaque origine, & significatu vario. Etenim Græcorum alii civitatem, alii lavacrum, gymnasium alii interpretati sunt, prout ex diversis fontibus putant ductum. Qui ciuitatem, hi Academiam velut *ἀγλὼ ἤδε ἀγωγλὼ τῶν δήμων*, id est, honoratam aliquam tribuum & familiarum collectionem atque conventum composita voce dixerunt: quēadmodum *ἀςὺ*, *astu* Terentius, pro systemate vel congregatione, ex *ἀ*, quod est *ὁμȣ̃*, simul, & verbo *ἱςάναι*, stare. Qui lavacrum (vt Hesychius autor est) appellauerūt nomine Academiæ, ii ex Hebræo fonte *παρὰ τὸ κάζειν, τὸ κοσμεῖν*, id est, ab ornando Academiā dici voluerūt, eo quod lotionis vsu corpora colerentur fierentq; elegantiora. Atq; hanc lavacri significationem duobus argumentis sibi visi sunt Attici confirmare, situ loci, & ritu illius Academiæ. Situ, quia lavacrum fuit prope vrbem cum nemore junctum Academiæ: Ritu, quia studiosos juuenes solebant ex eo abluere, quum ad certos quosdam & legitimos studiorum gradus conscendissent: vt suo loco postea ex Nazianzeno dicturi sumus. Qui autē pro gymnasio acceperunt, pleriq; omnes statuunt fuisse nomen impositum ex Academo siue Hecademo, laudato viro. Hunc enim autorem fuisse tradūt Academiæ, eiq; de suo nomine, quum ex privata possessione publicum faceret studiorum causā, indidisse nomē.

Pausanias Atticis, *Extra urbem proximè heroum virorumq; fortium sepulcra est Academia, privati olim hominis ager, nunc gymnasium.* Laërtius Platone, *Reversus Athenas Plato commorabatur in Academia. Est autem hoc gymnasium suburbanum, nemorosum, a quodam heroe, cui nomen fuit Academo dictum: quēadmodum & Eupolis in Astrateutis dicit,*

ἐν εὐσκίοις δρόμοισιν Ἀκαδήμου θεοῦ,

In ambulacris Academi umbrosis dei:

& Timon quoque de Platone sermonem habens, inquit;

Τῶν πάντων δ' ἡγεῖτο πλατύστατος, ἀλλ' ἀγορητὴς
Ἡδυεπὴς, τέττιξιν ἰσόγραφος οἵθ' Ἑκαδήμου
Δένδρει ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι. id est,

His Plato dux cunctis humeros latissimus ibat,
Ore melos persuave sonans, & quale Hecademi
Arboribus grata modulantur voce cicadæ.

Quam in sententiam item dicebat Horatius libro 2. Epistolarum,

Atque inter sylvas Academi quærere verum.

Hactenus de recepta apud autores illos etymologia. Hoc autem etymologiarū genere antiquitas plurimùm abundavit, vt aliqua religionis specie cùm auctoritatem locis, tum suis narrationibus fidem compararet. Etsi plerumq; perfugio isto fuisse videtur usa, ut in tabulis pictores & Geographi solent: nempe quum aut vetustas historiam, aut vocū peregrinitas rem ipsam significationemque obscuravit. Quæ res quia in hoc quoque exemplo accidit, videndum nobis est, ut ex ruderibus priscæ historiæ & linguarum exterarum comparatione id quod verum est eruamus.

Cadmus vel potiùs Kadmus, Phœnicium nomē est ex Hebrea matre lingua ductum: & significat antiquum vel anticum, ut promiscuè scribebant veteres. Quemadmo-

dum autem vocem *anticus*, Latini olim, & Latinorum progenitores Tyrrheni, id est, Osci & Ethrusci a Phœnicibus orti usurpabant; sic Phœnices suam appellationem Kadmi. Nam ab his Tyrrheni & per hos Latini, ut filij nepotesque ab avis & maioribus suis, voces quàm plurimas, usum vero uniuersum linguarum suarum acceperunt. Illis igitur Kadmus, his anticus vel antiquus dictus est, quisquis tempore, situ, loco, ordine, dignitate, officio, vel actione & procuratione ante stabat cæteris. Tempore, ut quum Maro diceret,

Vrbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Karthago Italiam contra, &c.

atque hoc sensu Tullius eleganter Attico, *Treis*, inquit, *epistolas tuas accepi postridie Iduũ: erant autem* III. IIII. *pridie Id. datæ: igitur antiquissima cuique primum respõdebo.* Situ aut θέσει, ut quũ antica aut postica pars tẽpli ex auguraculo designabatur, qua ratione veteres anticã, ait Verrius, *pro janua posuere.* Atq; hoc per literã c scribi διακριτικῶς jam usus obtinet. Loco, ut quũ ea quę ante nos sunt in cõspectu nostro volumus intelligi, & ortũ Solis anticam cæli partẽ nominamus, quemadmodũ Hebręi & Syri *Kedem.* Ordine, ut quum principes in Senatu Rom. sententiam rogabantur, quem vocat Tullius *antiquiorem in Senatu sententiæ dicendæ locum*, & victores in ludis *antegerionem* (sic enim habetur in Glossario vetere) obtinere. Dignitate & pretio, ut est apud Virgilium,

Lib. 9. epistol. 11.

Lib. 5. in Verrem.

Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi:

& narrat Cicero *antiquiorem Regi Deiotaro fuisse laudem & gloriam, quàm regnũ & possessiones suas.* Officio dignitate cõiuncto, vt quum in tẽplis & sacris *Antistites*, in Academiis *Antecessores* dicerentur, nimirum quia officio placuit dignitatem & locum respondere.

Actione denique & procuratione, vt quum homines aut etiã ordines alii aliis occurrunt, & fiunt quolibet cõgressu inter se obviam: quomodo anteveniendi verbum prisci Latini vsurparũt: & κάδαμον hominem cæcum, qui in omnia incurrit & impingit obvia, dixerunt Salaminii.

Ac Kadmum quidem illum, cuius historiæ freqũeter meminerunt, nec a tẽpore antiquum dici constat, nam fuerunt longe antiquiores alii: nec a situ aut loco, nam magis Orientales alii, quàm hic fuit, pariter in Græciam migraverunt: ordine multo minus, nam αὐθάδεις Græci homini extero primas nunquam fuissent concessuri, & in Illyricum deinde pulsus est Græcorum invidia, vt narrãt historici. Restat igitur, ut aut a dignitate officioque (ut credibile est) aut ab actionibus suis habuerit appellationem Kadmi. A dignitate ergo officioq; cum dignitate iuncto, velut προεστῶτα, fuisse apud suos dictum res ipsa loquitur, & præclaras actiones ejus ex officio consequutas. Kadmi enim hæc fuit dignitas, quòd filius fuerit Agenoris Tyriorũ regis in Phœnice agro: officiũ quòd dux fuerit migrantibus copiis a patre: actio, quòd & opere & sermone omnibus præiverit. Hunc verò autores alii Ægyptium, alii Phœnicem, alii Milesiũ fuisse putãt: alii diversos fabulantur exstitisse: sic innumeræ fabulæ ex hoc, velut equo Trojano & progenie Cadmea, prodiverunt. Etenim Ægyptii hunc hominem vindicare sibi cupientes, a se prædicabant ortum. Ἀπὸ Μισὼρ (inquit Philo apud Eusebium ex Samconiathone) Τάαυτος, ὃς εὗρε τὴν τῶν πρώτων στοιχείων γραφὴν· ὃν Αἰγύπτιοι μὲν Θωὼρ (lege Θωὰθ) Ἀλεξανδρεῖς δὲ Θωὺθ, Ἕλληνες δὲ Ἑρμῆν ἐκάλεσαν. id est, *Ex Misor (hic autem est Ægyptius) genitus est Taautus, qui primorum elementorum scripturam invenit: hunc Ægyptii Thooth, Alexandréi Thouth, Græci vero Mercurium Ἑρμῆν*

Lib. 1. præparat. Euãgel. ca. vlt.

plu appellaverunt. Eumdem sibi Libyes arrogant, Herculem appellantes. Fuisse Tyrium Phœnices gloriantur, & fatentur Græci. Verumtamen hi, vt aliquid deripiant de Phœnicum laude & vertant in rem suam, Cadmum alterum fuisse narrant genere Milesium, qui primus oratione prossa condere instituit historiam. Omnes autem unum & eumdem fuisse fatentur Mercurium, qui literas Ægyptios & Græcos docuerit, quamvis diversis appellationibus, & in Africam præterea detulerit. Hic ergo Hermes Græcorum sive Mercurius propterea Kadmus fuit nominatus, quòd quum literarum ornamento instructus esset, ab omnibus est princeps habitus dignitate officióque, & hominum congressus expolivit humaniorum literarum & studiorum adjumento. Atque hoc iam olim fuit Mercurii in Grçcia epitheton, Varino teste: ex quo Bæoti illum ὑποκοριστικῶς dixerunt Καδμίλον, ut est apud Lycophronem.

Hic autem ipse, sive Kadmus sermone Phœnicio, sive Taautes vel Taautus Ægyptio, sive Libyco Hercules, sive Hermes & Cadmilus Græco, pro sua sapientia, ubicunque locorum fuit, instituit literarum ludos, & homines ad vitam humaniorem & liberalia studia revocavit, fodinas lapidũ metallorumq;, & conflaturam, (vt ajunt) invenit; vt ego sentio, demonstravit multis: exposuit denique congressuum, commerciorum, & negotiationum commoda navigationibus. Quapropter etiam navigium, comparatum ad nauigationes instrumentum, Hebræis & Syris appellatur *Theba*, quam Græci appellant πλοῖον: ex quo urbes *Thebæ* apud Ægyptios & Græcos dictæ, regio *Thebais*, & conjugata omnia.

Horum verò beneficiorum omnium vestigia passim remanserũt. Hinc enim *Cadméa sive Cadmia* in re metal-

lica, & *Cadmîtis* dicta in gemmario genere. In primis autem nobilia & illustria rei literariæ documenta compárent in locorum appellationibus. Nam in Ægypto, Heptanomorum regio atq; Thebaica nomos *Chinnuc-politen* (quem corruptè Cynopolîtē dixerūt) *Hermoplîten, Heracleopolîten, Athenopolîten, Lycopolîten vel Lyceopolîten, Hermonthîten* habuit: opida *Chinnuc polin* vulgo Cynópolin dictam, *Hermópolin, Antaeos, Lyceópolin sive Lycópolin, Heracleópolin, Hermîum, Hermónthida*, & innumera id genus alia ex adventu & institutione Kadmi. Vt verò in Ioniā commigravit, eam cōplevit iisdem fermè nominibus. Mons *Cadmus* habitationi fuit, regio *Lyconia*, gymnasia secundùm flumen *Lycum*, *Heracléa* duplex, & ex Kadmilo per aphæresin *Miletus* dicta (unde literæ Milesiæ pro magicis, & vicus eodē nomine quondam) *Bargilia, Milassa* quam Mylassam scribunt, mons *Phœnix*, & vicus eodem nomine, &c. ut in Africa *Libyphœnices* sub Karthagoniis, & opidum *Hermaa* dictum. Ex Ionia verò in Bæotiam processit Kadmus, ubi *Cadméam sive Cadmíam* arcem Thebarum gymnasiúmque statuit, *Thebas, Tánagram, Géphyram*, pro eo quod est Cephyram vel Cephuram, id est πλεῖῆς, initiationis & purgationis locum; & montem Helycônem effecit celebrem, qui vulgo non sine vitio scribitur Helicon. Posteà Argîvi Cadméos, Bæóti Gephyræos Tanágrica sede ejecerunt. Itaque hi Athenas diverterunt, id est, in Athenarum δήμους sive pagos: a quibus in civitatem recepti, doctrinis quàm plurimis, præsertim literarum studiis humanioribus coluerunt illam, ut Herodotus in Terpsichore narrat & confirmat luculentissimé. Qua autem ratione Thebis in Bæotia gymnasium Kadméa siue Cadmîa fuit appellatum eadem quoque Athenis factum. Etenim a *Tanagrais*, id est (si etymon spectes) πε-

ϖαραδόσεις ſtudiorum exponentibus in medium hoſpitibus *Athena* dictæ ſunt, vt ſedes τῶν *παραδώσεων* doctrinarúmq; omnium, & Αθλώα dea ſtudiorum ficta, Minerva ſeu Pallas: a Cadméis verò *Kadméa* ſive *Kadmia* appellata, locus ſtudiorum a Gephyræis advenis inſtitutus. Eſt enim hæc proſtheſis, *a* vel *e*, Cadmeo generi cùm in Libya, tum in Atthide uſitata. Libyes & Afri *στοὰν* *Eſtoam* dicunt, *Stephanum Eſtephanum*, *Cholam Acholam*, *Tzephin*, *Aſpin* opidum, & ſimilia multa. Attici verò in eumdem modum *σαχυὼ ἄσαχυω*, *σαφίδα ἀσαφίδα*, Θλώαν Αθλώαν, Θλώας Αθλώας, Λυχῶνα ἐλυχῶνα (malè ἐλικῶνα) Καδμείαν ſive Καδμίαν quoque Ακαδημίαν vel Εκαδημίαν pronunciant. Atque hæc quidem ſatis de vocis origine.

CAPUT SECUNDUM.

Quid ſit Academia, & quæ ſint ejus appellationes.

EST igitur propriè quidem Academia, *σύστημα* vel cœtus hominum exercentium ſtudia literarum, & in iis ſeſe occupantium: metonymicè verò locus ubi exercentur ſtudia docendo diſcendóque. Nam quòd Athenienſes olim ſuæ illi Academiæ ſpeciatim hoc nomen arrogaverunt, & alij *κατ᾽ ἐξοχὴν* ei tribuerunt; id ambitione illorum factum eſt, & horum ignoratione. Ambitio fuit Athenienſium, quòd qui *αὐτόχθονες* vel Aborigines ſemper in Græcia haberi voluerunt, ii glorioſa iſthæc ſtudiorum nomina ſuæ ipſorum genti ac ſoli vindicaverunt; & certas eorum origines plerumque de-induſtria corruperunt, ut omnem ſcientiæ doctrinarúmque laudem aliis præriperent. Nam etiam (quod longè fuit gravius, & factu indigniſſimum) eos turpiter oppreſſerunt per quos profecerant. Gephyræos enim vel Cephuræos advenas,

qui ipsam Atthida literis exornaverant, exceperũt durissimis & acerbissimis conditionibus, teste Heródoto: nec unquam, nisi deleto fermè illorum nomine, potuerunt conquiescere; vt dea ipsorum Pallas pro studiorum & humanitatis parente, ipsi verò pro germanis studiorum alumnis & administris soli haberentur. Sed illa insignis fuit in aliis gentibus ignoratio, quòd ex inscientia historiæ veteris exterarúmque linguarum imperitia laborantes, id quodammodo cesserunt Atheniensibus, quod priùs ad ipsos quàm ad Athenienseis pervenerat. Cur enim Iones? cur Bœoti parem laudem non fuissent assumturi sibi? Nempe maluerant ipsi Kadméos & Academias ejicere ex suis finibus, quàm exterorum ferre diu consuetudinem: illi verò τυραννικώτερον Kadmeis a Gephyra pro mancipiis abusi sunt, dignitatē verò scientiæ & gloriam Academiarum sibi reservarunt. Sic injuriam fecerunt Iones & Bœoti Cadméis semel; Atheniēses eisdem semper, dum stetit ipsorum Respub. An hoc fortasse nomine Athenienses ingeniis Bœotis illuserint, & aures Bœoticas proverbio falso vellicaverint? Qua proter Romani jure optimo (quorum majores a Phœnicibus humana studia & politiores literas acceperant) Phœnicas suos προγόνους quodammodo vindicaverunt, & celebre illud nomen Academiæ, opus, & gloriam ad posteros Phœnicum ab hostibus, id est, a Græcis ad gentem suam transtulerunt. Atq; hoc pacto id consequutũ est, quod poëta Claudianus scribit in Panegyrico de Manlii Theodori consulatu,

In Latium spretis Academia migrat Athenis.

Cùm igitur Academia commune sit omnium conventuum vel collegiorum nomen, quæ institui ad rem literariam & haberi solent: ad ejusmodi autem aliquod σύστημα omni tempore certa loca fuerint disposita apud

omneis

omneis gentes: age, expediamus paucis quæ de locorum istorum appellationibus dici a nobis videntur oportere. Quamquam non est consilii nostri, ut omneis in hunc locum omniúmve gentium appellationes accumulemus pariter; quod nemo homo præstare posset præ linguarum & gentium varietate ac multitudine: sed eas tantummodò quæ ab Hebræis ad Phœnicas & Ægyptios, ab istis ad Græcos, hinc ad Romanos & nostros homines transiverunt.

Animadverti quatuor esse capita, ex quibus nomina Academiarum fermè deducta sunt: personas, officia, loca, & adjuncta. Ac mihi quidem videntur autores Græci cùm exterarum linguarum & priscæ historiæ ignoratione, tum religionis injiciendæ & conciliandæ autoritatis studio, nomina quàm plurima ad fictos illos antiquitatis Deos retulisse, & collegiis quasi singulis singulos præfecisse. Nam Athenienses & Bœoti summis collegiis suis, puta Academię Minervam, Lycéo Apollinem, Cynosargei Herculem Tutanum sive Tutelinum præsidémque assignabant. Sed quia hoc loco potiùs historiæ veritatem quàm mendaciorum infinitatem (quibus abundauerunt Græci) cupimus expositam; dabimus operam, ut de vero & genuino appellationum ortu dicamus solùm: illorum verò mendacia, si fortè, cursim uno aut altero verbo, data occasione, perstringemus.

A personis ergo nomina bifariam deducuntur: alia enim sunt ab autoribus, alia ab asseclis ibi agentibus. Ab autoribus (quorum plerosque fecerunt Deos antiqui propter egregia ipsorum merita, ut ait Tullius) dicuntur Lib.2.de legib. Académia, Cadméa Thebis, gymnasium Ptolemæi ad forum, gymnasium Adriani Cæsaris Athenis, ut refert Pausanias: itémq; (ut gētibus olim visum est) Athenęum,

Apollónium, Heraclêum, Hermêum sive Hermíum, Musêum, quod ineptè Musæum pleriq; scribunt,& quæcunque a singulari suo autore ἀληθῶς ἢ δοξαστικῶς obtinuerunt nomen, prout ubique ferè memoria nostra observatur. Sed hęc infinita sunt,neque a nobis opus est percenseri. A personis verò ibi agentibus denominata sunt Cœnobium,Collegium,domus Prophetarum,Lycêum, Mandra, Synagoga, & siqua sunt huiusmodi: quorum alia in rebus sacris tantummodò & Ecclesiastica historia, alia in omnibus promiscuè vsurpantur. Ab officiis & functionibus orta sunt hęc nomina, Ascetérium, Athenęum, Apollónium, Cynosarges, Diátriba, Didascalîum, Domus vel locus doctrinæ, Heraclêum, Hermêum vel Hermîum, Ludus, Μελετητήριον, Musêum, phrontistérium, Schola,studium,& cætera id genus.

A loco item, Gibhá sive Gabaá, id est, collis, Labrathá sive Lebrathán, Monastérium, Peripatos, Stoa, & siqua sunt prætereà ad genus istud pertinentia.

Ab adjunctis denique dicta fuerunt olim Amalthêa sive Amalthêum, Gymnasium, Xystus,& quæcunq; fortè de signis idolorum suorum denominationem apud cæcos idololatras habuerũt olim. Hæc autem singula,quia non omnia omnibus satis perspecta sunt, ordine eodem ac modò adducta sunt,deinceps explicabimus.

Ακαδημία,sive(ut olim) Ακαδήμεια Græcis, Latinis Académia vel Academía,aut etiam tenuiore sono Ἐκαδημία, antiquissima Atheniensium schola, a Kadmo Agenoris filio, vel potiùs Kadméis autoribus fuit appellata, qui a Bæótis Tanagra, Gephyra, Thebis, Helycone expulsi, aliisque sedibus, Athenas commigraverant: ut antè ex Heródoto confirmavimus. Nam veterum sententiam, quòd ab Academo vel Hecademo fuerit constituta, superiore

periore capite explosimus. Attica autem hæc appellatio Academiæ rectè ad alia quævis gymnasia commeavit, quæ literarum & studiorum causa publicè aut privatim fuerunt comparata. Hujusmodi fuit Arpinas illa, & Tusculana, & tertia illa Ciceronis inter Avernum lacum Puteolosque sita, olim percelebris: ut refert Plinius libro 31. naturalis historiæ, capite 2. etsi Tusculanam plurimùm donavit Lycei nomine διαχελικῶς. Athenæũ, Apollónium, Heraclêum, Hermêum, Musêum, & siqua sunt ejùsmodi omnia hæc vetustas impia & inscia veri adscripsit Deorum suorum nominibus, ut quæ veritatem religiosæ fidei & historiæ gestæ pariter ignoraret. Sed hæc omnia sequentibus locis commodiùs exponentur. De singularibus autem gymnasiis (ut antè diximus) hoc loco tacebimus, quia nec prodest, nec potest fieri ut pervestigentur & conscribantur singula.

Cadméa sive Cadmía, Καδμεία, olim urbs Thebarum dicta, Strabone teste, & arx quoq; Thebarum fuit appellata, ut autor est Plutarchus in Pelopida. Gymnasiũ verò cùm apud Thebanos, tum apud Bœotos reliquos Καδμεία, Cadméa, fuit appellatũ a Cadmo, sive Cadméis autorib.

Quæ autem nomina a personis in literarum studia incũbentibus fuerũt imposita, ea se habent in hũc modum.

Cœnobium κοινόβιον, locum, vbi communis quædam vita agitur ad sacratiorum studiorum commoditatem & ad bonos mores, pia vetustas appellavit, ex quo in prisca Ecclesia licuit ascetéria pietatis colere, & juventutem in rebus sacris informare. Hinc Cœnobiarchæ. Hodie servatur nomen.

Collegium propriè quidem societas vel coetus eorum est qui ad rem, functionem, militiámve aliquam (ut Iurecoss. vocant) simul allegantur: non enim a legendo, sed a

legando, id est, allegando dictum. Metonymicè verò locus appellatur, ídque κατ' ἐξοχὴν, ubi corpus & societas eorum est qui literarum studiis operam daturi sunt. Hic quoque in prisca Ecclesia Christi fuit usus olim: cujus rei vestigium non sanè obscurum est in vulgo, quòd hac etiam memoria nostra quædam in Pontificiis Ecclesiæ collegiatæ nominantur.

Domus vel locus Prophetarum σεμνεῖον, ἀγνευτήριον, in prisca Iudæorũ Ecclesia dicebatur locus ubi divini illi & sancti Prophetæ discipulos, ut patres filios, docebant instituebántque in vera pietate, doctrina fidei, morúmque probitate, & consulentibus respondebant. Nam utrique, Doctores inquam & discipuli ipsorum, Prophetæ dicebantur communi voce: διακριτικῶς verò hi filii Prophetarum, & illi patres, ut Scriptura passim testis est.

Lycéum, sive Lycíum (ut Spartianus vocat in Adriano Cæsare) Λύκειον, Græci vindicant sibi fabulosissimé. Hoc enim deducunt alii a Lycio Pandionis filio, ut Pausanias: alii ab Apolline Lycéi præside (ut antè ostẽdimus) qui dictus est a Græcis Lycius: alii a lupo sacro Apollini, cujus signum in Lycéo fuit: alii ἀπὸ τῆς λύκης, a luce, sive propter doctrinæ lucem quam inde percipiebãt studiosi, sive quòd clarior esset locus, & plus haberet lucis umbræque minus quàm Academia, cujus ambulationes umbrosas Eupolis appellauit. Fabulæ. Hebræum nomen est *lahaká* 1. Sam. 19. 20. cœtum atque conventũ significans: & per syncopen Hebræis frequentatam *laka*, ut sunt *Babat*, *bat*, *laat*, vel *lahat*, *lat*, similiáque multa. Hinc ergo Phœnices duxerunt scholasticorum conventuum suorum appellationem: a quibus regiones illas Ioniæ quas incoluerunt primùm, *Lyciam & Lycaoniam*, gymnasiis ipsorum exornatas, fluuiúmque *Lycum* dixerunt.

runt, quòd ſecundùm eum gymnaſia operâ ipſorum fuerint inſtituta in minore Aſia: itémque in Ægypto *Lycæópolin* ſiue *Lycópolin*: Nomónq, *Lycopolîten*, &c. deinde verò in Bœotia *Helyconem* mōtem Muſarū, qui vulgo Helicon (vt capite 1. docuimus) & ſexcenta alia. Ex hoc autem fonte manavit Græcorum Latinorumq; λέγω, τὸ συλλέγω, & nomen λόγος, συλλογὴ, qua homines λογάδην, id eſt, turmatim vel manipulatim congregantur, & λογεῖον, ὁ τόπος συλλογῆς, &c. forte etiam Latinorum lucus: quod ego quidem putauerim. Atque ex hac ſignificatione λυκείου vel λογείου, aut etiam (ſi ita placet) συλλογῆς, hæc opidorum nomina profecta ſunt: Lucotecia Pariſiorum, quæ per ſyncopen Lutecia pōſt dicta: & Lucodunum, in priſcis lapidibus Lugodunum vel Lugudunum, vulgo Lucdunum ſiue Lugdunum, olim etiam Lugodinium corrupta voce (nam dunum apud veteres ſignificabat molem, vt doctiſſimus Turnebus doctè monet in Adverſariis) quaſi dicas molem conventui hominum recipiendo & continendo accomodam. Hoc autem nomine appellantur, primùm quidem emporium illud celebre quod nomen dedit Lugdunenſi Galliç, tum alterum Germaniæ magnæ non procul a fluuio qui Albis dicitur, itemque nobile illud hoc tempore Batavorum Lycéum quod Leydam vocant, prætereaque illud Aquitanicum ad Pyrenęos ſaltus, cujus in conventu fuerunt populi Cónvenæ ex cauſa illa quam modò dîximus appellati, & in opidum contributi, vt Plinius autor eſt libro 4. natur. hiſtor. cap. 19. quo ex loco (vt in tranſcurſu moneam) Ptolemæū libro 2. Geographicῶν, cap. 7. opus eſt emendari. Nam quod de Lygdo vel Lugdo autore prædicant quidam, id per me fabulis deputetur licet. Quod vero a L. Munatio Plāco alii princeps illud Galliæ

Lugdunensis opidum dictum volunt, Strabonis autoritate & narratione ita convellitur, vt qui hoc sentiũt autorem illum gravem non legisse, aut certe parum meminisse videantur. Fuit autem Lycéum vel Lycíum Athenis quidem gymnasium Aristotelis & Peripateticorum, ex quo discesserunt ab Academia. Sed propriè tamẽ atque universè (ut justa vocis notatio postulat) gymnasium significat habendo cœtui & colendis studiis accõmodum. Ac propterea non ineptè Tullius gymnasium a se in Tusculano suo constitutum donavit Lycéi nomine, libro 1. de divinatione: & constitutæ ad hanc rem scholæ eleganter eodẽ nomine ornari possunt. Mandra *μάνδρα*, ex Hebræo ductum nomen, apud Phœnicas Ægyptiósq; habet epenthesin literæ n. Temporariam quamvis habitationem significat, vel commorationis locum. Qui autem ex Græco ducunt, speluncam aut specum interpretantur, quo sese ab imbre & procellis pecudes solent recipere: & in Ecclesia illa vetere sic dictam fuisse putant eorum habitationem, qui & contemplationis studio & mundi istius tædio religiosam vitam vivebant solitarié. Omnino mandra propria notatione sua est cõmunis habitatio quædam, id est (quod ante diximus) cœnobium. Quod autem Græci de pecore dixerunt, id quoque Phœnicibus & Cadméis debent. Atque hinc passim *Ἀρχιμανδρῖται*, *Archimandrîtæ*, in historia Ecclesiastica nominantur *οἱ τῶν μοναστηρίων καὶ μάνδρων προεστῶτες*: quorum Iustinianus Imperator meminit l. 7. C. de summa Trinitate & fide cathol.

Synagôgam, *συναγωγὴν*, quam Hebræi *Cenesseth* vocant, significare locum nõ solum cœtibus Ecclesiasticis, verumetiam scholasticis habẽdis apud Iudæos olim destinatum, magis notum est quàm ut res egeat explicatio-

ne: & ita non obscurè accepit Lucas Act.6.9. Templis enim concionalibus, id est, ἐκκλησιαστηρίοις scholæ plurimùm erant iunctæ: ut pòst in vocem Gabaa dicturi sumus.

Atque hæc de nominibus quę a personis instituentibus ducta sunt, aut de causa eorum qui ad literarum studia eòdem conveniunt, fuerunt imposita. Sequuntur quæ ab officiis.

Ascetérium, ἀσκητήριον, Græca origine in prisca Ecclesia gymnasium sacrum vocabatur, in quo ascétę aut ascétriæ, id est, viri aut fœminæ se in meditatione rerum sacrarum & officiorum exercitatione occupabant, ut posteà aliquo habitu ad eam rem comparato, quum probati essent & idonei judicati, functionem justam susciperent in Ecclesiis, scholis, aut dochiis Christi. Sic appellant Leo & Anthemius Cæsares in l. omnia 35. C. de episcopis & clericis.

Athenæum, ἀθηναῖον, olim dicebatur locus gymnasiumque publicum, vbi rhetores & poetæ exercebantur palám. Sic Lampridius in Alexandro Severo, *Ad Athenæum, inquit, audiendorum & Græcorum & Latinorum Rhetorum vel Poetarum causa frequenter processit.* Hoc autem ab ara Ἀθηνᾶς, id est, Palladis plerique omnes putant appellatum: qualis fuit Lugduni olim ad Rhodanum, ut Iuvenalis Satyra 1. testis est his versibus:

Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Erat enim gymnasium eo in loco celebre, vt innuit Strabo, ad confluentem Rhodani & Araris: cuius rei hodie documentum superest, puta cœnobii quod in eo tractu situm est vernacula appellatio. Verum (quod bona veterum pace dictum velim, qui exoticas literas nescive-

runt) neque Athenarum, neque Ἀθλῶας, id est, deæ ipsius Palladis partus est Athenæum, si ad summum & verum illius ortum respexeris: sed Phœnicia est appellatio, perinde significans ac si doctorum vel doctrinæ locum, doctrináve celebrem appellaveris. Phœnices enim & Syri doctrinam a tradendo nominant quasi παράδοσιν, disciplinam verò a percipiendo quasi παρειλημμένην, quia doctrina a magistris & præceptoribus traditur, & disciplina ab audientibus percipitur: doctum vero hominem appellant *Thanai* vel *Thani*. Atque ex eo Ἀθλῶα docta Minerva & doctrinæ dea; Ἀθλῶαι, vrbs *Athenæ* quas doctas Ovidius vocat, *vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omneis terras distributæ putantur*, ut ait Tullius: *Athenæum* doctrinæ, doctorumque hominum doctrinam suam fideliter tradentium locus, & literarum sedes: *Antæi* deniq; κατὰ μετάθεσιν & *Athenopolites* Ægypti nomos, & compositum *Tanagra*, quod capite 1. exposuimus. Apollóniū, ἀπολλώνιον dixerunt alii quod Athenienses Lycéum: id quidem ab Apolline (vt Græcorum vanitas argutabatur olim) sed longè alio respectu quàm putabant illi. Nam vt Græci λοξίαν, ita Phœnices *Apollinem* a caligine & obscuritate dixerunt respōsorum ejus: quæ *adeo flexiloqua erant & obscura*, inquit Tullius, *ut interpres egeat interprete*. Apollonium vero gymnasium non tam ab Apolline (ut putatur) dictum est, quàm a rerum obscurarum & quæ in vulgo nesciuntur declaratione. Id enim proprium virorum est literatorum munus, & gymnasiorum ornamentum: ex quo opida quam plurima variis in regionibus consequuta sunt *Apolloniæ* nomen, & in Thebaide Ægypti fuit *Apollópolis vel Apollinis civitas*, & ab ea Nomos *Apollopolítes* apud Plinium lib. 5. natur. hist. cap. 9.

Orat. pro Flacco.

Lib. 2. de diuinat.

Cyno-

Cynoſarges, *κυνόσαργες*, gymnaſium olim Athenienſium fuit proximè urbē, ubi maximè docuit Cynicorum natio, Herculi ſacrum (vt *μυθολόγοις* placet) dictum à cane albo, qui ſacrificium quoddam Herculi oblatum eripuerat. Scilicet ante illud tempus locus ſacer fuit, ſed carebat nomine. Germanæ gerræ. Imò vero *Cynoſarges* Phœnicium nomen eſt à Kadmeis (ut alia) inditū, quod in eo loco iuventus eruditione & inſtitutione augeretur, quaſi prælucente face. Nam Chinnúk ſarég apud Syros nihil ſibi vult aliud quàm ordinare inſtitutionem, & doctrinam ordine certo tradere: quod nomen cui loco meliùs, obſecro, quàm gymnaſiis literariis aptari poteſt? Atque hinc illa quoque gymnaſiorum & civitatum nomina de quibus capite primo, *Cynôn, Cynóspolis* vel *Cynópolis*, & ſiqua ſunt ejuſmodi: quorum ortum ignorantes Græci & alii ſequuti Græcos Circæo poculo ſuo ex eruditis hominibus fecerunt canes: & eruditionis locum (indignum factu) in maledictionis formulam transmutarunt vulgato proverbio, *ἐς κυνόσαργες*.

Diátriba, *διατριβὴ*, locus exercitationum disputationúmque dicitur, ex ſermone Græco.

Didaſcalîum item, *διδασκαλεῖον*, doctrinæ exponendæ & tradendæ locus.

Domus explicationis & declarationis, *Beth-geljá*: domus doctrinæ vel eruditionis, *Beth-ulphaná*: domus perquiſitionis ſeu perveſtigationis, *Beth-midrás ſeu medrás* apud Syros dicitur, à juſto ſcholarum vel gymnaſiorum uſu. Hinc *Bargilia* locus Ioniæ Syrè appellatus, quaſi agrū vel campum declarationis dicas in Caria non procul Iaſſo, quam *Bárgylam* Plinius, Mela *Bárgylon* ſcribit, Ptolemæus *Bargy'liam*: item *ἄλφασις* apud Græcos diſciplina morum dicta, & conjugata quàm plurima.

Heraclēum, ἡράκλειον, ab Hercule Libyco dictum volunt, de quo antè capite 1. pauca. Nos verò fontem huius appellationis paulo pòst dicturi sumus.

Hermæū, ἕρμαιον, eruditionis locus Mercurio (vt Græci putaverunt) sacer, dicebatur illis tam privatus quàm publicus: nam hoc quoq; nomine in Augustali sive prætorio Cæsaris dixtam fuisse legimus apud Tranquillū in Claudio Cæsare. Est autem *Hermes* Phœnicia origine propriè ἀνὴρ πολυπλαγχθεὶς (ut Homeri utamur voce) varia & multa peregrinatione excultus, peritus, versutus, doctus: attributum Kadmi illius Tyrii, vt ante ostendimus. Ex eo igitur fonte derivatū est *Hermæum*, doctorū virorum peritorumq; locus, gymnasium literatorum hominum, ubi res abditæ pervestigātur, ignotæ docētur, obscuræ declarantur, iter deniq;, instrumenta, artes, scientiæ, omnia ad sapientiam veram pertinentia proponūtur. Quapropter etiam *Hermes* sive Mercurius cōmune fuit omniū Academiarum & gymnasiorū signum: vnde proverbium, κοινὸς Ἕρμης. Cicero Attico, *Quòd ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum. est ornamentū Academiæ proprium meæ: quòd & Hermes cōmune omniū, & Minerva singulare est insigne ejus gymnasii.* Hinc autem profectæ sunt plurimæ locorum appellationes simplices & compositę in Asia minore, Ægypto, Libya, Græciaq;: vt *Hermæa*, *Hermæum*, *Hermopolis*, *Hermopolîtes* Nomos, & compositum *Hermonthis*, indeq; *Hermonthites* Nomos forma Ægyptia, pro eo quod vaniores Græci fuissent dicturi *Hermathenaida*, & *Hernathenaiten* Nomon, ex patria sua ἑρμαθηνάας appellatione.

Lib 1. epist. 4. ad Attic.

Ludus metonymicè Latinis dicitur pro loco ludi literarii: nā *omnem scholā*, inquit Asconius, *ludum dixere Romani*, quia liberali ingenio ludus est, quū literas, artes, historias, scientiasque discit. Quamobrem eleganter ludum

discendi

discendi non lusionis Tullius ad Q. Fratrem appellavit. Lib. 3. epl. ſtol. 4.

Μελετητήριον, Græcum eſt nota origine, meditationis & exercitationis locus, q. d. meditatorium; vt aſcetérium, phrontiſterium, & ſimilia.

Muſeū vel Musiū (vt Spartianus vocat) gymnaſiū eſt, Muſarum locus privatus, publicusve, à Muſis dictus, vt vana Græcia credidit. At Muſæ ipſæ, o Græculi, unde? hîc aqua hęret: μῶζαι, μυῶζαι, μελωδοῦζαι, ὁμοῦ οὖζαι, inquiūt illi: & quid nō? ager mēdacii feraciſſimus omnia affert, præterquā veritatē unam. Hebræū eſt, Phœniciū eſt verbum *Mus* in perſcrutandi & perveſtigandi ſignificatione. Hæc igitur ſtudia, atq; hi ſtudiorū duces fuerunt olim appellatione hac apud veteres figurati: hæc appellatio prædicat autores ſuos, quam tamen eo quòd ignota eſſet, ſimplex vetuſtas in deas ignotas ſtollidè transformavit. Sic Dei nomine luditur, quod alicujus viri nomine facere vix quiſquam impunè audeat.

Phrontiſtérium, φροντιστήριον, nota ſatis origine vel notatione vocis, a Socrate primùm nomē habuiſſe dicitur: cujus diſcipuli appellabantur φροντισταὶ, quòd alii officioſè curarēt alios ex humano Socratis inſtituto. Aptiſſima ſanè gymnaſiorū, vt vocant, collegiatorū denominatio.

Schola, σχολὴ ἢ σχολεῖον, diatriba, gymnaſium, ludus ubi ſtudiorum cauſa juvenes ab occupationibus cæteris otiantur, nomen eſt tranſlatitium. Auſonius,

--- Grajo ſchola nomine dicta eſt,
Juſſa laboriferis tribuantur ut otia Muſis.

Studium recentiores & homines noſtri per inſolētem quamdam abuſionem dixerunt ſcholam. Sed ἅλις δρυός.

Deinceps conſequuntur ea quæ a loco aut ſitu dicta.

Gibhá, ſive Gabaá, ut vulgo legitur, itemq; Gébah & Gabe Geographis dicta, apud Hebræos & Syros collem

ſignificat vel locum editũ. Hoc nomine locus olim donabatur in populo Dei qui habendis conuentibus Eccleſiaſticis vel ſcholaſticis deſtinatus eſſet. In cauſa fuit hujus appellationis mos ille antiquiſſimus, quòd plurimùm ad hos conventus eminens ſedes in editioribus quibuſq; locis eligeretur. Hîc autem ſummum locum templa ſive Ἐκκλησιαστήρια, proximũ ſcholæ obtinebāt. Atq; hæc non rarò fuit Prophetarũ docentium ſedes, vt ex Saulis hiſtoria 1. Sam. 10. colligitur: ideoq; *domus vel locus Prophetarum* dicebatur vulgo, quemadmodũ ſuprà oſtendimus. Atq; hinc profecta eſt vetus (vt in tranſcurſu moneamus) illa *Gabiorum* apud Volſcos in finibus Latii appellatio, quos alii dura cōpoſitione a Galacto & Bio Siculis fratribus duxerunt nuncupatos. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. antiquitat. Rom. 1 de Romulo & Remo loquens ita ſcribit, ἡνίκα ἢ τῆς ἐν τῷ γάλακτι τροφῆς ἀπηλλάγη τὰ παιδία, δοθῆναι πρὸς τῶν τρεφόντων εἰς Γαβίους, πόλιν οὐ μακρὰν ἀπὸ τοῦ Παλαντίου κειμένην, ὡς ἑλλάδα παιδείαν ἐκμάθοιεν, &c. id eſt, poſtquā verò infantes a lacte depulſi ſunt & cibo lacteo, ab altoribus fuiſſe traditos ut deducerentur Gabios, civitatem non procul a Palantio ſitam, in qua diſciplinam Græcam ediſcerent. Fuit enim Gabiis Latinorũ ſchola Volſcorumq; quam Phœnices Cadmei, & prognati eorum Tyrrheni, Oſci, ſive Ethruſci ſtatuerũt, nomine impoſito de ſermone ſuo.

Labrathá vel Lebrathan, Ægyptiis, Afris, & Armenis (quos Hebræi & vicini Hebræorum Phœnices literas ſuas docuerunt) eſt declivis vel acclivis locus, ab eo quòd deſcenditur in profundum dictus. Nam illis verbum *Lbará* eſt deſcendere. Et inde *Lubár*, τόπος ἀποβατήριος: *Labrá*, tota παροικία in declivitate poſita & ſubiecta ſynagogæ ſuæ: *Labrathá*, ſynagoga: *Lebrathenúm*, οἱ πρὸς.

προς μίαν συναγωγὴν προσήκοντες: *Labarum* siue *Laborum* vexillum, sacrum sive principale: λάβηρος, fossa, profunditas: & conjugata pleraque alia, quæ omnia κατὰ πρόσθεσιν literæ l, ex Hebræo derivata sunt. Hîc verò opus est, vt obscuram istam atque inauditam hominibus nostris exterarum vocum συζυγίαν exponamus latiús. A verbo igitur *Labara*, quod est descendere, dicitur mons Armeniæ Λουβάρ, *Lubar*. Epiphanius in Scythismo, sub principium sui Panarii, Μετὰ δὲ τὸν κατακλυσμὸν ἐπιστάσης τῆς λάρνακος τοῦ Νῶε ἐν τοῖς ὄρεσι τῆς Ἀραράτ ἀνὰ μέσον Ἀρμενίων καὶ Καρδυέων, ἐν τῷ Λουβὰρ ὄρει καλουμένῳ, ἐκεῖσε πρῶτον κατοίκησις γίνεται τῶν ἀνθρώπων, &c. Nicolaus verò Damascenus apud Flavium Iosephum libro 1. antiquit. Iudaic. cap. 4. ait, ἔστιν ὑπὲρ τὴν Μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Ἀρμενίαν Βάρις λεγόμενον, εἰς ὃ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ λόγος ἔχει περισωθῆναι. *Post diluvium autem*, inquit Epiphanius, *quum arca Noë constitisset in montibus Ararat, inter Armenios & Cardycos, monte cui nomen est Lubar: inde primùm habitationes hominum fuerunt constitutæ.* Nicolaus verò, *est supra Minyada*, inquit, *mons magnus secundùm Armeniam, qui vocatur Baris, in quem fama est confugisse multos tempore diluvii, & servatos esse.* Id autem observandum est, illius *Lubar*, & huius *Barin* idem esse, si hoc exceperis, quòd prius in principio syllabam habet προσθεῖσαν ex Orientalium & Afrorum usu, posterius purum est & accessione carens. Ex hoc nomine formatum est alterum illud λαβρά, *labrá*, id est, tota parœcia atque vicinitas, quę uno quasi colle aut clivo disterminata est, & ad conventum Ecclesiæ unius pertinet. Idem Epiphanius κατὰ τῶν Ἀρειομανιτῶν his verbis rem totam explicat: ὅσαι γὰρ ἐκκλησίαι τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, ὑπὸ ἕνα Ἀρχιεπίσκοπον οὖσαι· καὶ κατ᾽ ἰδίαν ταύταις ἐπιτεταγμένοι εἰσὶ πρεσ-

εὔποροι διὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας τῶν οἰκητόρων πλησίον τῆς Ἐκκλησίας ὄντων, καὶ ἀμφόδων ἤτοι λαβρῶν ἐπιχωρίως καλουμένων ὑπὸ τῶν τὴν Ἀλεξανδρέων κατικουσώτων πόλιν. Nam *quæcunque Ecclesia*, inquit Epiphanius, *Alexandriæ ad catholicam Ecclesiam pertinent, uni subsunt Archiepiscopo: speciatim verò Presbyteri sive Seniores illis præfecti sunt, propter necessitates Ecclesiasticas habitatorum suam Ecclesiam accolentium, regionúmque circumstantium vel parœciarum, quæ voce patria dicuntur Labræ ab iis qui urbem Alexandréam colunt.* Ex his autem verbis facilè intelligitur, qui fuerit olim Ecclesiarum ordo in amplioribus opidis: nā opida in *labras* (parochias hodie vocāt) fuisse distributa, singulis *labris* suum Presbyterium, omnibus autem simul Archiepiscopum & Antistitem præfuisse. Tum plerumque in summo labræ istius editissimóque loco fuit *labrathá*, *sive Lebrathan* de qua hîc agitur, id est, synagoga, Ecclesia, locus conventui Ecclesiastico & scholastico dictus: atque hunc in locum sive conventum familiæ contributæ (πάροικοι, parochi vulgo) appellabantur *Lebrathenún*, id est, *Lebrathéni*, qui corruptè (vt fit in migratione exterarum vocum & transplantationibus plurimùm) a Græcis dicti sunt *Libertini*.
Act.6.9. Sic enim illa Lucæ verba accipimus, *Exorti sunt autem quidam e synagoga quæ dicitur Libertinorum tum Cyrenæorum tum Alexandrinorum, & eorum qui sunt ex Cilicia & Asia, altercantes cum Stephano*, &c. Ab eadem origine sunt (ut cursim ea perstringamus quæ ad eruditæ antiquitatis intelligentiam faciunt) alia σύζυγα vel conjugata præfixum l habentia, aliáque carentia. Habent enim l hæc nomina, λάβηρος, fossa profunda, & *Labarum sive* λάβωρον Sozomeno, vexillum prætorium, principale, sive Augustale, vt antè diximus. Sine l verò ex eodem fonte manantia leguntur ista: βήρυτος, *Berytus sive Berútus*, urbs Phœniciæ clarissima, ubi juridicam Academiam instituit Iustinianus

Cæſar: *Thabor* mons Iudææ: *Thabrus*, qui vulgo *Taurus* mons, Ciliciam Armeniámque diſterminans: & *Atabyria*, Plinio teſte, olim Rhodus dicta. His adde coronidis loco *cántabrum*, vocem compoſitam, apud Tertullianum, Minutium, & alios autores claſſicos: quo nomine ſignificatur ſtylus, ſcapus, vel haſtile labarorum, id eſt, ſignorum penſilium quæ Imperatoribus olim præferebantur, ritu ab Armeniis regibus tranſlato. Hæc enim vexilla eo a cæteris commodè diſtinguebantur, quòd *labara* de ſuo *kané*, id eſt, ſcapo vel haſtili deponi po terant ut exemtilia, reliqua autem omnia erant operis continentis: ac propterea ubique vexillis cantabra opponuntur. Tertullianus Apologetico, *Suppara illa vexillorum, & cantabrorum ſtolæ, crucium ſunt.* Minutius, *Nam & ſigna ipſa, & cantabra, & vexilla caſtrorum, quid aliud quàm inaurata cruces ſunt & ornata?* Sed ad rem.

Monaſtérium μοναςήριον, Græca appellatione aſcetérium eſt vel phrontiſtérium monachorum, quos μοναςὰς, μοναχὰς, vel μονάζοντας antiquitas nuncupavit, id eſt, eorum qui ſolitariam vitam colebant in Eccleſia vetere, ut pietatem ſemoti a reliquo mundo commodiùs exercerent, ſéque in contemplatione rerum ſacrarum occuparent, donec legitimè ad ſacras functiones & miniſteria apta vocarentur.

Perípatos, περίπατος, Lycéi locus ἐγκύκλιος, ut ab Ariſtotele ſæpenumero appellatur, in quo ambulantes ſolebant agere de rebus philoſophicis Peripatétici. Hæc enim ambulatio a rotunda ipſius forma dicta eſt illis περίπατος, aut etiam κύκλος, & ἐγκύκλιοι nimirum τόποι: Latini circum, vel circulum dicunt.

Stoa, ςοὰ, cognomento ποικίλη dicta, *pœcile* Spartiano, id eſt, varia, ubi depicti erant fortes illi & praſtantes viri

qui in pugna Marathonia pro patria occubuerant, gymnasium fuit Zenonis Stoicorúmque, situm ex adverso fermè ipsius Academiæ ad urbem Athenarum. Generatim verò porticum structurámque oblongam significat, qualia plerumque sunt basilicarum & magnificorum operum vestibula, a Stoæ illius Atticæ similitudine: ut Ioan.5.2.& 10.23.

Restant pauca nomina ex adjunctis attributa.

Amalthêa sive Amalthêum ἀμάλθεια, ἀμαλθεῖον, gymnasium Bibliotheca instructissimum & confertissimum, ex origine Hebrea dicitur. Nam vox *Malé* Hebręis, & Syris significat plenum. Sic vocat Tullius in epistolis ad Atticum.

Gymnásium, γυμνάσιον, propriè nominatur locus in quo nudi athletæ exercebantur, ut vocis notatio indicat: dicitur verò κατὰ συνεκδοχὴν de quolibet exercitationis loco, & κατ' ἐξοχὴν de ludo literario & Academia. Nam huius in accessu erat gymnasium exercendis juuenum corporibus institutum, ne obtorpescerēt assidua studiorum μελέτῃ. Pausanias in Atticis.

Heraclêum, ἡράκλειον, alii ab Hercule Lybico dictum volunt, alii a statua Herculis quæ ante gymnasia solebat poni, ut fortes esse docerentur quicunque ad literarum studia accedebant: nam Hercules apud veteres dictus est μουσαγητής. Sed Hercules unde? Phœnicia est & Punica appellatio, virum peregrinationibus variis cultum significans & versutum, qui orbem terrarum pedibus obierit, multiplicémque sibi peritiam rerum & doctrinam δι' ἐμπειρίας comparaverit, ut de nomine Ἑρμοῦ antè dicebamus. Nam ex eo quòd Hebręi virum peditem & vias tentantem explorantémque pedibus appellant *Ragli*, Phœnices & Pœni duxerunt nomen commune virorum omnium

nium *Regál* vel *Reglá*, quia ſolus πρὸς ἐμπειρίαν aptus eſt, & τὸν ἔμπειρον nuncupauerunt *Elragli* : & inde ἡρακλῆς. Atque hinc multæ *Heracléæ*, & *Heracleópoles* in Aſia tota, Ægyto, Græcia, & regionibus aliis, &c. ubi ſcholæ ad literarum ſtudia floruerunt. Sed quia omnes putaverunt Herculem ante gymnaſia in ſtadiis aſceticíſque locis propter robur ſtatui oportere, dedimus illud opinioni vulgi, ut hoc nomen gymnaſiorum in numerum eorum conferremus quæ ex adjunctis ducta ſunt.

Xyſtus, ξυστὸς, lata porticus & ampla dicebatur, ubi exercebantur athletæ hiberno tempore, gymnaſium tectum & quaſi πρόναον veſtibulúmque Academiæ. Hinc διὰ συνεκδοχῆς ipſam quoque Academiam nonnulli dixerunt Xyſtum. Sed hæc de nominibus plus ſatis.

CAPUT TERTIUM.

Quæ ſpecies Academiarum.

EX tam multis σχολείων gymnaſiorúmque appellationibus una hoc tempore cæteris anteponitur: & vnum eorum genus eſt, quod ex communi uſu jam ſibi vindicat nomen Academiæ, proprio quodam & ſingulari jure, ut poſt dicturi ſumus. Cùm igitur illud ipſum genus quod κατ' ἰδίαν vocatur Academia, juſta legitimáque ratione poſtulet, ut inter ſe diſtinguantur gymnaſiorum formæ: nunc videndum nobis eſt, quid ſit id in quo Academia aliis antecellit, & quamobrem ſibi hoc nomen arroget. Ac primùm quidem ponendum illud eſt, neque mechanica, neque palæſtrica, neque παγγυμνώδη, neque σωματικῆς ἀσκήσεως ullius gymnaſia hîc a nobis agi : ſed ea ſpectari ſolùm in quibus animus humanus cognitione liberalium diſciplinarum informatur, & ad veram pieta-

tis formam, ſcientiæ, virtutíſque ducitur.

Prima igitur gymnaſiorum diſtinctio a materia ducitur in hunc modum. Gymnaſiorum alia ſunt quæ dicuntur παιδαγώγια, alia quæ ἐνηβητήρια: illa minoribus erudiendis inſtituta, hæc grandioribus & provectioribus ætate ſtudióque informandis pleniùs, ex quo principia in pædagogiis tradita bellè aſſequuti ſunt. In pædagogiis autem duo traduntur potiſſimùm: inſtrumenta doctrinarum, & principia ſive rudimenta. Inſtrumenta appellamus linguas, artes inſtrumentales, & ornamenta earum hiſtorias. Linguas, Latinam & Græcam, omnis juſta inſtituendi ratio pueris accuratè tradi poſtulat, & flagitat hæc memoria noſtra: Hebræa non perinde ab omnibus deſideratur. Deſideratur tamen, eáque opus eſt plurimùm: quod bonum antecedentium ſeculorum barbaries diu ignoravit, & impendens bellorum clades porrò impeditura eſt, niſi Deus Chriſtianum orbem reſpexerit miſericorditer, & fortia juventutis piæ ſtudia ad hoc officium accenderit, ut rumpatur Satan. Hic enim adverſarius ſalutis noſtræ jam fermè nihil tam molitur, quàm ut in ſermone illo ſuo non audiatur Deus, quo ſermone ſuaviſſima illa myſteria exoptatiſſimæ ſalutis noſtræ olim tradita atque perſcripta ſunt. Artes inſtrumentales, nimirum Grammaticam verborum ex uſu, Logicam veritatis ex ratione, & Rhetoricam communis cultus ad eaſdem res ex commoditate adhibendi artifices, neceſſarias eſſe qui ignorat, brutus eſt: furioſus, qui negat. Hiſtorias ſiqui his cum judicio & ratione adjungunt, non mediocre juventuti allectamentum ad amorem literarum humaniorum præbent, & ſermoni, rationi, cultui denique in pueris confirmando

mando magnum adferunt adjumentum. Principia ſive rudimenta duûm ſunt generum, quæ in ſcholis pædagogicis ſi traduntur, bene eſt: ſi non traduntur, omnino tamen vnum eorum adhibeatur neceſſe eſt. Prius genus eſt pietatis, poſterius philoſophiæ. Pietatis rudimenta fermè cum lacte ipſo ſugi atque imbibi oportere, quiſquis pius eſt fatebitur: & qua fronte, obſecro, officium illud in pædagogica inſtitutione omittatur? qua negligatur fide? Philoſophiæ non penetralia exponi, ſed aditus pueris reſerari cupio: non omneis, ſed eos ſaltem qui ſunt de moribus: quam ad rem Tullius libris illis ſuis quos ſcripſit de officiis juventuti maximè commodavit. Hoc ergo pædagogiorum opus: cui ſi acceſſerit conveniens aliqua ad res Mathematicas (ut vocant) introductio, equidem juſtè pædagogium illud conſtitutum cenſero, & quaſi perfectum in ſuo genere. Quanquam non omnia pædagogia univerſo hoc inſtrumento ſunt adornata, aut verò eſſe poſſunt: ſed alia pro commoditate locorum, præceptorúmque docentium, alia pro judicio variiſque ſtudiis hominum hanc aut illam partem depopoſcerunt ſibi, reliquas verò intactas ſinunt. Exempli cauſa: literas quidem ſcire, id eſt, literaturam omnes ferè cupiunt: ſed linguam Latinam plerique, Græcam multi diſcunt, Hebræam pauciſſimi. Idem quoque uſu venit in tradendis artibus: paſſim Grammatica, multis in locis Logica & Rhetorica, ſed quaſi deartuata (ut ita dicam) exponitur, hiſtoria pauciſſimis. Sic gymnaſia hæc pædagogica longè ſunt alia preſtantiora aliis: nempe quo meliùs feliciúſq; inſtrumenta ac principia rerum & quædam velut ſemina doctrinæ teneris puerorum mentibus ingeniiſque ſubactis & cultis inſeruntur.

Alterum autem illud gymnaſiorum genus, quod ex

grandiorum institutione Græcis ἐπιβητήριον diximus appellari, id ergo genus illud est quod initiatos literis & imbutos juvenes pleniore disciplinarum modo colit & perficit. Nam sive instrumenta in pædagogiis tributa respexeris, ea occupantur ampliùs atque excoluntur in hoc gymnasiorum genere: sive præcipuas quasque partes philosophiæ, quarum principia ex pædagogiis fuerunt hausta, eæ demum hîc perficiuntur atque absolvuntur: sive facultates illas summas, quæ primas in disciplinis humanis obtinent jure meritissimo, & ad communem Reipub. usum accedunt proximè, eæ in hoc ludo exponuntur commodè ad Reipub. & Ecclesiæ Christi utilitatem maximam. Ac primùm quidem linguarum uberior hîc doctrina traditur; non autem peræquè ut in pædagogiis exilis ratio & σμικρόλογος adhibetur, ut oratores, poëtæ, atque historici Græci & Latini cum fructu percurrantur. Deinde verò facultatis philosophicæ, omniúmque artium & scientiarum instrumenta graviùs, solidiùs, pressiùs ex classicis quibusque autoribus depromta, non ex rivulis aridioribus ducta aut in tenues alveos corrivata in medium afferuntur: quemadmodum tyronibus succrescentibus non solùm rerum nomina ad officinam suam pertinentium, sed usus etiam demonstrari solet suis gradibus certóque ordine. Præsertim autem id facto opus est, quum jam propè adest tempus quo incumbant illi in ampliora studia, aleámque judiciorum in palæstra hac literaria publicè nonnunquam subeant. Tum corpus totius philosophię quasi per anatomen confirmatis ipsorum mentibus, vt oculis, cernendū proponitur. Hic τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως ὄντα, id est, Mathematicas disciplinas certo ordine juventuti percipiendas & tenendas tradit: ille τὰ ἐκ προσθέσεως ὄντα,

quàm

quam secundam philosophiam vocant ad res physicas pertinentem, eodemque ferme contextu τὰ ἁπλῶς ὄντα, id est, materiam primæ, vt loquuntur, & reconditioris philosophiæ enucleat argutè, doctè, breviter, familiariter: iste verò τὰ ἠθικά, quibus circumscribuntur boni mores, sanctéque feruntur justi & injusti leges, ad singularem cujusque hominis institutionem, ad rem domesticam gubernandam, ádque publicam necessariæ. Succedunt tandem his facultates (ut appellantur) summæ, hominémque bene informatum & instructum in suo genere ad πρακτικὴν velut ducentes manu, θεολογικὴ, νομικὴ, ἰατρικὴ. Quarum illa quæ Theologia appellatur fontes suos non alibi quàm in cœlo habet, rivi in homines verbo & Scriptura sacra ex mera Dei gratia defluxerunt: Hæ verò fontes suos ab orbis conditu in philosophiæ penetralibus, natura ipsa duce & teste habuerunt. Ethicam enim Iurisprudentia, Physicam Medicina quàm latissimè ad commoditatem generis humani privatim & publicè diduxerunt. Gymnasiorum igitur species fermè quatuor ex hoc ordine (nam totidem fuerunt olim) constitui possunt: prima, eorum in quibus linguarum doctrina fuit exposita: secunda, in quibus instrumenta subministrantur & artes ad philosophiam præviæ: tertia, in quibus aperiuntur studiosis & patescunt recessus philosophiæ: quarta denique eorum, in quibus summæ illæ facultates, quas postremo loco diximus, juventuti explanantur ex usu Reipub. Omnia autem inde a principio studiorum, ex quo Cadmus literas intulit, apud Græcos Cadmiæ sive Academiæ nomine donata sunt.

Quamquam, si literaturam exceperis, gymnasia olim perpauca, ac penè nulla in Græcia tota extiterunt, ubi traditus fuerit linguarum usus. Singuli enim philosophi

& philosophorum principes in regiones quidem exterãs commigrabant diligentissimè, unde rerum scientiam apportarent: sed linguarum, quas unà didicerant, notitiam dissimulabant strenuè multis nominibus. Primum illud est, quòd usque adeò sibi sapere videbantur ut res potiùs quàm linguas sua occupatione dignas judicarēt. Secundum, quòd istud doctrinæ genus magnis illis viris emporeticum magis esse quàm philosophicum videretur. Tertium, idque (vt mihi quidem videtur) maximè omnium verisimile, quòd mallent ipsi autores & inventores earum rerũ quas docebant haberi apud suos, quàm aliis hominibus & linguis exteris laudem quam decerpebant tribuere: licet doctrinam suam, verissimam semẽtem laudum suarum, ab illis exteris accepissent. Itaque nec tum apud Græcos aliósve, nec diu pòst doctrina linguarum floruit, donec Romani scientiam exteram haustiuri aliunde præceptores & interpretes linguarum haberi in Repub. sua curaverunt. Primùm enim religionum suarum causa Oscam sive Ethruscam linguam a Phœnicibus ortam, quã in Sibyllinis, Pompilianis, Saliaribus, & Auguralibus libris utebantur, deinde verò longo pòst intervallo Græcam visum est ediscere. Quapropter Catonem illum senem pro miraculo habebat poëta Ennius, quòd trilinguis homo, id est, linguarum trium cognitionem adeptus esset, Latinæ puta, id est, vernaculæ, Oscæq; & Græcæ. Adeo sera fuit linguarum disciplina.

Secundum genus, τὸ λογικὸν, floruit Athenis fuitque celebre, primùm quidem in Academia illa propriè apud Athenienses dicta, deinde verò in Lycéum & Stoam fuit derivatum. Etenim Lycéum, gymnasium alterum, omni instrumentorum & artium genere Aristoteles relictâ Academia exornavit. Stoã verò Zenones duo, Cittieus

&

& Eleates auditor Parmenidis, & quicunque hos fequuti funt, [illegible] iliores argutioréfque omnes illi τῆς λογικῆς καὶ σοφιστικῆς artifices: quos optimè Ariston quondam fimiles prædicabat effe edentibus cancros & aftacos, qui propter exiguum alimentum pertenui cum fructu in offibus & teftis plurimis occupantur. Atque hoc ferò quoque in urbem Romam ingreffum eft: & ubi ingreffum eft, perdiu jacuit, nec ita magno in pretio fuit. Nam *rhetorum turba referta fuerunt omnia*, inquit Tullius in primo de officiis: merces verò dialecticorum mina fuit habita, donec fuccedente Grammaticorum grege aucta eft dialecticorum autoritas. Idem enim Romanis olim primò videbatur, ac cuidam apud Athenæum, qui medicos omnium futuros fuiffe miferrimos affirmabat, nifi manipuli Grammaticorum exftitiffent. Tandem verò iftud doctrinarum genus in pretio & honore fuit, fi Suetonio credimus: etfi ne nunc quidem ea autoritate eft, ut nomen obtineat Academiæ.

Tertia gymnafiorum fpecies φιλοσοφική, veriffimè ex Athenienfi illa & laudata Academia proceffit, quamvis ab exteris haufta & percepta primùm, & in ea culta & confervata fit quam diutiffimè: poftea verò a Lycéo, Stoa, Cynofarge, aliisq; fuis fœtibus (ut de Cadmea progenie poëtæ fabulati funt) oppugnata eft Academia, fciffa, & divexata maximè, ambitiofis multorum contentionibus. Tantus enim philofophorum æftus πρὸς καινολογίαν καὶ ματαιοπονίαν fuit in fuis dogmatis profundendis & pervicaciter afferendis, ut nationum fermè trecentarum examen in ifto genere ad memoriam ufque fuam Themiftius fcripferit exftitiffe. De hoc autem genere fic ait Tullius, *Philofophia jacuit ufque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen literarum Latinarum: quæ* Lib. 1. Tufcul. quæft.

Heracléum, ἡράκλειον, ab Hercule Libyco dictum volunt, de quo antè capite 1. pauca. Nos verò fontem huius appellationis paulo pòst dicturi sumus.

Hermæũ, ἑρμαῖον, eruditionis locus Mercurio (vt Græci putaverunt) sacer, dicebatur illis tam privatus quàm publicus: nam hoc quoq; nomine in Augustali sive prætorio Cæsaris diætam fuisse legimus apud Tranquillũ in Claudio Cæsare. Est autem *Hermes* Phœnicia origine propriè ἀνὴρ πολυπλαγχθεὶς (ut Homeri utamur voce) varia & multa peregrinatione excultus, peritus, versutus, doctus: attributum Kadmi illius Tyrii, vt ante ostendimus. Ex eo igitur fonte derivatũ est *Hermæum*, doctorũ virorum peritorumq; locus, gymnasium literatorum hominum, ubi res abditæ pervestigãtur, ignotæ docẽtur, obscuræ declarantur, iter deniq;, instrumenta, artes, scientiæ, omnia ad sapientiam veram pertinentia proponũtur. Quapropter etiam *Hermes* sive Mercurius cõmune fuit omniũ Academiarum & gymnasiorũ signum: vnde proverbium, κοινὸς Ἑρμῆς. Cicero Attico, *Quod ad me de Hermathena scribis,* (Lib. 1. epist. 4. ad Attic.) *per mihi gratum. est ornamentũ Academiæ proprium meæ: quòd & Hermes cõmune omniũ, & Minerva singulare est insigne ejus gymnasii.* Hinc autem profectæ sunt plurimæ locorum appellationes simplices & compositę in Asia minore, Ægypto, Libya, Græciaq;: vt *Hermæa, Hermæum, Hermopolis, Hermopolites* Nomos, & compositum *Hermonthis*, indeq; *Hermonthites* Nomos forma Ægyptia, pro eo quod vaniores Græci fuissent dicturi *Hermathenaida*, & *Hernathenaiten* Nomon, ex patria sua ἑρμαθηναίας appellatione.

Ludus metonymicè Latinis dicitur pro loco ludi literarii: nã *omnem scholã*, inquit Asconius, *ludum dixere Romani*, quia liberali ingenio ludus est, quũ literas, artes, historias, scientiasque discit. Quamobrem eleganter ludum discendi

discendi non lusionis Tullius ad Q. Fratrem appellavit. Lib. 3. epistol. 4.

Μελετητήριον, Græcum est nota origine, meditationis & exercitationis locus, q. d. meditatorium; vt ascetérium, phrontisterium, & similia.

Muséũ vel Musîũ (vt Spartianus vocat) gymnasiũ est, Musarum locus privatus, publicus ve, à Musis dictus, vt vana Gręcia credidit. At Musæ ipsæ, o Græculi, unde? hîc aqua hęret: *μῶζαι, μυῶζαι, μελῳδοῦζαι, ὁμοῦ οὖζαι*, inquiũt illi: & quid nõ? ager mẽdacii feracissimus omnia affert, præterquã veritatẽ unam. Hebræũ est, Phœniciũ est verbum *Mus* in perscrutandi & pervestigandi significatione. Hæc igitur studia, atq; hi studiorũ duces fuerunt olim appellatione hac apud veteres figurati: hæc appellatio prædicat autores suos, quam tamen eo quòd ignota esset, simplex vetustas in deas ignotas stollidè transformavit. Sic Dei nomine luditur, quod alicujus viri nomine facere vix quisquam impunè audeat.

Phrontistérium, *φροντιστήριον*, nota satis origine vel notatione vocis, a Socrate primùm nomẽ habuisse dicitur: cujus discipuli appellabantur *φροντισταὶ*, quòd alii officiosè curarẽt alios ex humano Socratis instituto. Aptissima sanè gymnasiorũ, vt vocant, collegiatorũ denominatio.

Schola, *σχολὴ ἢ σχολεῖον*, diatriba, gymnasium, ludus ubi studiorum causa juvenes ab occupationibus cæteris otiantur, nomen est translatitium. Ausonius,

--- Grajo schola nomine dicta est,
Iußa laboriferis tribuantur ut otia Musis.

Studium recentiores & homines nostri per insolẽtem quamdam abusionem dixerunt scholam. Sed *ἅλις δρυός*.

Deinceps consequuntur ea quæ a loco aut situ dicta.

Gibhá, sive Gabaá, ut vulgo legitur, itemq; Gébah & Gabe Geographis dicta, apud Hebræos & Syros collem

ſignificat vel locum editũ. Hoc nomine locus olim donabatur in populo Dei qui habendis conuentibus Eccleſiaſticis vel ſcholaſticis deſtinatus eſſet. In cauſa fuit hujus appellationis mos ille antiquiſſimus, quòd plurimùm ad hos conventus eminens ſedes in editioribus quibuſq; locis eligeretur. Hîc autem ſummum locum templa ſive Ἐκκλησιαστήρια, proximũ ſcholæ obtinebãt. Atq; hæc non rarò fuit Prophetarũ docentium ſedes, vt ex Saulis hiſtoria 1. Sam. 10. colligitur: ideoq; *domus vel locus Prophetarum* dicebatur vulgo, quemadmodũ ſuprà oſtendimus. Atq; hinc profecta eſt vetus (vt in tranſcurſu moneamus) illa *Gabiorum* apud Volſcos in finibus Latii appellatio, quos alii dura cõpoſitione a Galacto & Bio Siculis fratribus duxerunt nuncupatos. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. antiquitat. Rom. 1 de Romulo & Remo loquens ita ſcribit, ἡνίκα ἢ τῆς ἐν τῷ γάλακτι τροφῆς ἀπηλλάγη τὰ παιδία, δοθῆναι πρὸς τῶν τρεφόντων εἰς Γαβίους, πόλιν οὐ μακρὰν ἀπὸ τοῦ Παλαντίου κειμένην, ὡς ἑλλάδα παιδείαν ἐκμάθοιεν, &c. id eſt, poſtquã verò infantes a lacte depulſi ſunt & cibo lacteo, ab altoribus fuiſſe traditos ut deducerentur Gabios, civitatem non procul a Palantio ſitam, in qua diſciplinam Græcam ediſcerent. Fuit enim Gabiis Latinorũ ſchola Volſcorumq; quam Phœnices Cadméi, & prognati eorum Tyrrheni, Oſci, ſive Ethruſci ſtatuerũt, nomine impoſito de ſermone ſuo.

Labrathá vel Lebrathan, Ægyptiis, Afris, & Armenis (quos Hebræi & vicini Hebræorum Phœnices literas ſuas docuerunt) eſt declivis vel acclivis locus, ab eo quòd deſcenditur in profundum dictus. Nam illis verbum *Labará* eſt deſcendere. Et inde *Lubár*, τόπος ἀποβατήριος· *Labrá*, tota παροικία in declivitate poſita & ſubiecta ſynagogæ ſuæ: *Labrathá*, ſynagoga: *Lebrathenúm*, οἱ πρὸς.

προὸς μίαν συναγωγὴν προσήκοντες: *Labarum* siue *Laborum* vexillum sacrum sive principicpale: λάβηρος, fossa, profunditas: & conjugata pleraque alia, quæ omnia κατὰ πρόσθεσιν literæ l, ex Hebræo derivata sunt. Hîc verò opus est, vt obscuram istam atque inauditam hominibus nostris exterarum vocum συζυγίαν exponamus latiùs. A verbo igitur *Labara*, quod est descendere, dicitur mons Armeniæ Λουβάρ, *Lubar*. Epiphanius in Scythismo, sub principium sui Panarii, Μετὰ δὲ τὸν κατακλυσμὸν ἐπιστάσης τῆς λάρνακος τοῦ Νῶε ἐν τοῖς ὄρεσι τῆς Ἀραρὰτ ἀνὰ μέσον Ἀρμενίων καὶ Καρδυέων, ἐν τῷ Λουβὰρ ὄρει καλουμένῳ, ἐκεῖσε πρῶτον κατοίκησις γίνεται τῶν ἀνθρώπων, &c. Nicolaus verò Damascenus apud Flavium Iosephum libro 1. antiquit. Iudaic. cap. 4. ait, ἔστιν ὑπὲρ τὴν Μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Ἀρμενίαν Βάρις λεγόμενον, εἰς ὃ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ λόγος ἔχει περισωθῆναι. *Post diluvium autem*, inquit Epiphanius, *quum arca Noë constitisset in montibus Ararat, inter Armenios & Cardycos, monte cui nomen est Lubar: inde primùm habitationes hominum fuerunt constituta.* Nicolaus verò, *est supra Minyada*, inquit, *mons magnus secundùm Armeniam, qui vocatur Baris, in quem fama est confugisse multos tempore diluvii, & servatos esse.* Id autem observandum est, illius *Lubar*, & huius *Barin* idem esse, si hoc exceperis, quòd prius in principio syllabam habet προστεθεῖσαν ex Orientalium & Afrorum usu, posterius purum est & accessione carens. Ex hoc nomine formatum est alterum illud λαβρὰ, *labrá*, id est, tota parœcia atque vicinitas, quę uno quasi colle aut clivo disterminata est, & ad conventum Ecclesiæ unius pertinet. Idem Epiphanius κατὰ τῶν Ἀρειομανιτῶν his verbis rem totam explicat: ὅσαι γὰρ ἐκκλησίαι τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, ὑπὸ ἕνα Ἀρχιεπίσκοπον οὖσαι· καὶ κατ' ἰδίαν ταύταις ἐπιτεταγμένοι εἰσὶ πρεσ-

βύτεροι διὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας τῶν οἰκητόρων πλησίον τῆς Ἐκκλησίας ὄντων, καὶ ἀμφόδων ἤτοι λαβρῶν ἐπιχωρίως καλουμένων ὑπὸ τῶν τὴν Ἀλεξανδρέων κατοικούντων πόλιν. Nam quæcunque Ecclesia, inquit Epiphanius, *Alexandriæ ad catholicam Ecclesiam pertinent, uni subsunt Archiepiscopo: speciatim verò Presbyteri sive Seniores illis præfecti sunt, propter necessitates Ecclesiasticas habitatorum suam Ecclesiam accolentium, regionúmque circumstantium vel parœciarum, quæ voce patria dicuntur Labræ ab iis qui urbem Alexandriéam colunt.* Ex his autem verbis facilè intelligitur, qui fuerit olim Ecclesiarum ordo in amplioribus opidis: nã opida in *labras* (parochias hodie vocãt) fuisse distributa, singulis *labris* suum Presbyterium, omnibus autem simul Archiepiscopum & Antistitem præfuisse. Tum plerumque in summo labræ istius editissimóque loco fuit *labrathá*, *sive Lebrathan* de qua hîc agitur, id est, synagoga, Ecclesia, locus conventui Ecclesiastico & scholastico dictus: atque hunc in locum sive conventum familiæ contributæ (πάροικοι, parochi vulgo) appellabantur *Lebrathenín*, id est, *Lebrathéni*, qui corruptè (vt fit in migratione exterarum vocum & transplantationibus plurimùm) a Græcis dicti sunt *Libertini*. Sic enim illa Lucæ verba accipimus, *Exorti sunt autem quidam e synagoga quæ dicitur Libertinorum tum Cyrenæorum tum Alexandrinorum, & eorum qui sunt ex Cilicia & Asia, altercantes cum Stephano*, &c. Ab eadem origine sunt (ut cursim ea perstringamus quæ ad eruditæ antiquitatis intelligentiam faciunt) alia σύζυγα vel conjugata præfixum l habentia, aliáque carentia. Habent enim l hæc nomina, λάβηρος, fossa profunda, & *Labarum sive* λάβωρον Sozomeno, vexillum prætorium, principale, sive Augustale, vt antè diximus. Sine l verò ex eodem fonte manantia leguntur ista: *βήρυτος*, *Berytus sive Berútus*, urbs Phœniciæ clarissima, ubi juridicam Academiam instituit Iustinianus

Act. 6. 9.

Cæſar: *Thabor* mons Iudææ: *Thabrus*, qui vulgo *Taurus* mons, Ciliciam Armeniámque diſterminans: & *Atabyria*, Plinio teſte, olim Rhodus dicta. His adde coronidis loco *cántabrum*, vocem compoſitam, apud Tertullianum, Minutium, & alios autores claſſicos: quo nomine ſignificatur ſtylus, ſcapus, vel haſtile labarorum, id eſt, ſignorum penſilium quæ Imperatoribus olim præferebantur, ritu ab Armeniis regibus tranſlato. Hæc enim vexilla eo a cæteris commodè diſtinguebantur, quòd *labara* de ſuo *kané*, id eſt, ſcapo vel haſtili deponi poterant ut exemtilia, reliqua autem omnia erant operis continentis: ac propterea ubique vexillis cantabra opponuntur. Tertullianus Apologetico, *Suppara illa vexillorum, & cantabrorum ſtola, crucium ſunt.* Minutius, *Nam & ſigna ipſa, & cantabra, & vexilla caſtrorum, quid aliud quàm inaurata cruces ſunt & ornata?* Sed ad rem.

Monaſtérium μοναςήριον, Græca appellatione aſcetérium eſt vel phrontiſtérium monachorum, quos μοναςὰς, μοναχὺς, vel μονάζοντας antiquitas nuncupavit, id eſt, eorum qui ſolitariam vitam colebant in Eccleſia vetere, ut pietatem ſemoti a reliquo mundo commodiùs exercerent, ſéque in contemplatione rerum ſacrarum occuparent, donec legitimè ad ſacras functiones & miniſteria apta vocarentur.

Perípatos, περίπατος, Lycéi locus ἐγκύκλιος, ut ab Ariſtotele ſæpenumero appellatur, in quo ambulantes ſolebant agere de rebus philoſophicis Peripatétici. Hæc enim ambulatio a rotunda ipſius forma dicta eſt illis περίπατος, aut etiam κύκλος, & ἐγκύκλιοι nimirum πάτοι: Latini circum, vel circulum dicunt.

Stoa, ςοὰ, cognomento ποικίλη dicta, *pæcile* Spartiano, id eſt, varia, ubi depicti erant fortes illi & praſtantes viri

qui in pugna Marathonia pro patria occubuerant, gymnasium fuit Zenonis Stoicorúmque, situm ex adverso fermè ipsius Academiæ ad urbem Athenarum. Generatim verò porticum structurámque oblongam significat, qualia plerumque sunt basilicarum & magnificorum operum vestibula, a Stoæ illius Atticæ similitudine: ut Ioan.5.2.& 10.23.

Restant pauca nomina ex adjunctis attributa.

Amalthêa sive Amalthêum ἀμάλθεια, ἀμαλθεῖον, gymnasium Bibliotheca instructissimum & confertissimum, ex origine Hebrea dicitur. Nam vox *Male* Hebręis, & Syris significat plenum. Sic vocat Tullius in epistolis ad Atticum.

Gymnásium, γυμνάσιον, propriè nominatur locus in quo nudi athletæ exercebantur, ut vocis notatio indicat: dicitur verò κατὰ συνεκδοχὴν de quolibet exercitationis loco, & κατ' ἐξοχὴν de ludo literario & Academia. Nam huius in accessu erat gymnasium exercendis iuuenum corporibus institutum, ne obtorpescerēt assidua studiorum μελέτῃ. Pausanias in Atticis.

Heraclêum, ἡράκλειον, alii ab Hercule Lybico dictum volunt, alii a statua Herculis quæ ante gymnasia solebat poni, ut fortes esse docerentur quicunque ad literarum studia accedebant: nam Hercules apud veteres dictus est μουσαγητής. Sed Hercules unde? Phœnicia est & Punica appellatio, virum peregrinationibus variis cultum significans & versutum, qui orbem terrarum pedibus obierit, multiplicémque sibi peritiam rerum & doctrinam δι' ἐμπειρίας comparaverit, ut de nomine Ἑρμῆ antè dicebamus. Nam ex eo quòd Hebręi virum peditem & vias tentantem explorantémque pedibus appellant *Ragli*, Phœnices & Pœni duxerunt nomen commune virorum omnium

nium *Regál* vel *Reglá*, quia solus πρὸς ἱμπειρίαν aptus est, & τὸν ἔμπειρον nuncupauerunt *Elraglí* : & inde ἡρακλῆς. Atque hinc multæ *Heracléa*, & *Heracleópoles* in Asia tota, Ægypto, Græcia, & regionibus aliis, &c. ubi scholæ ad literarum studia floruerunt. Sed quia omnes putaverunt Herculem ante gymnasia in stadiis asceticísque locis propter robur statui oportere, dedimus illud opinioni vulgi, ut hoc nomen gymnasiorum in numerum eorum conferremus quæ ex adjunctis ducta sunt.

Xystus, ξυστὸς, lata porticus & ampla dicebatur, ubi exercebantur athletæ hiberno tempore, gymnasium tectum & quasi πρόναον vestibulúmque Academiæ. Hinc διὰ συνεκδοχῆς ipsam quoque Academiam nonnulli dixerunt Xystum. Sed hæc de nominibus plus satis.

Caput tertium.

Quæ species Academiarum.

EX tam multis σχολείων gymnasiorúmque appellationibus una hoc tempore cæteris anteponitur: & vnum eorum genus est, quod ex communi usu jam sibi vindicat nomen Academiæ, proprio quodam & singulari jure, ut post dicturi sumus. Cùm igitur illud ipsum genus quod κατ' ἰδίαν vocatur Academia, justa legitimáque ratione postulet, ut inter se distinguantur gymnasiorum formæ: nunc videndum nobis est, quid sit id in quo Academia aliis antecellit, & quamobrem sibi hoc nomen arroget. Ac primùm quidem ponendum illud est, neque mechanica, neque palæstrica, neque παιγνιώδη, neque σωματικῆς ἀσκήσεως ullius gymnasia hîc a nobis agi : sed ea spectari solùm in quibus animus humanus cognitione liberalium disciplinarum informatur, & ad veram pieta-

tis formam, ſcientiæ, virtutíſque ducitur.

Prima igitur gymnaſiorum diſtinctio a materia ducitur in hunc modum. Gymnaſiorum alia ſunt quæ dicuntur παιδαγώγια, alia quæ ἐνηβητήρια: illa minoribus erudiendis inſtituta, hæc grandioribus & provectioribus ætate ſtudióque informandis pleniùs, ex quo principia in pædagogiis tradita bellè aſſequuti ſunt. In pædagogiis autem duo traduntur potiſſimùm: inſtrumenta doctrinarum, & principia ſive rudimenta. Inſtrumenta appellamus linguas, artes inſtrumentales, & ornamenta earum hiſtorias. Linguas, Latinam & Græcam, omnis juſta inſtituendi ratio pueris accuratè tradi poſtulat, & flagitat hæc memoria noſtra: Hebræa non perinde ab omnibus deſideratur. Deſideratur tamen, eáque opus eſt plurimùm: quod bonum antecedentium ſeculorum barbaries diu ignoravit, & impendens bellorum clades porrò impeditura eſt, niſi Deus Chriſtianum orbem reſpexerit miſericorditer, & fortia juventutis piæ ſtudia ad hoc officium accenderit, ut rumpatur Satan. Hic enim adverſarius ſalutis noſtræ jam fermè nihil tam molitur, quàm ut in ſermone illo ſuo non audiatur Deus, quo ſermone ſuaviſſima illa myſteria exoptatiſſimæ ſalutis noſtræ olim tradita atque perſcripta ſunt. Artes inſtrumentales, nimirum Grammaticam verborum ex uſu, Logicam veritatis ex ratione, & Rhetoricam communis cultus ad eaſdem res ex commoditate adhibendi artifices, neceſſarias eſſe qui ignorat, brutus eſt: furioſus, qui negat. Hiſtorias ſiqui his cum iudicio & ratione adjungunt, non mediocre juventuti allectamentum ad amorem literarum humaniorum præbent, & ſermoni, rationi, cultui denique in pueris confirmando

mando magnum adferunt adjumentum. Principia sive rudimenta duûm sunt generum, quæ in scholis pædagogicis si traduntur, bene est: si non traduntur, omnino tamen vnum eorum adhibeatur necesse est. Prius genus est pietatis, posterius philosophiæ. Pietatis rudimenta fermè cum lacte ipso sugi atque imbibi oportere, quisquis pius est fatebitur: & qua fronte, obsecro, officium illud in pædagogica institutione omittatur? qua negligatur fide? Philosophiæ non penetralia exponi, sed aditus pueris reserari cupio: non omneis, sed eos saltem qui sunt de moribus: quam ad rem Tullius libris illis suis quos scripsit de officiis juventuti maximè commodavit. Hoc ergo pædagogiorum opus: cui si accesserit conveniens aliqua ad res Mathematicas (ut vocant) introductio, equidem justè pædagogium illud constitutum censero, & quasi perfectum in suo genere. Quamquam non omnia pædagogia universo hoc instrumento sunt adornata, aut verò esse possunt: sed alia pro commoditate locorum, præceptorúmque docentium, alia pro judicio variisque studiis hominum hanc aut illam partem depoposcerunt sibi, reliquas verò intactas sinunt. Exempli causa: literas quidem scire, id est, literaturam omnes ferè cupiunt: sed linguam Latinam plerique, Græcam multi discunt, Hebræam paucissimi. Idem quoque usuvenit in tradendis artibus: passim Grammatica, multis in locis Logica & Rhetorica, sed quasi deartuata (ut ita dicam) exponitur, historia paucissimis. Sic gymnasia hæc pædagogica longè sunt alia præstantiora aliis: nempe quo meliús feliciúsq; instrumenta ac principia rerum & quædam velut semina doctrinæ teneris puerorum mentibus ingeniisque subactis & cultis inseruntur.

Alterum autem illud gymnasiorum genus, quod ex

quam ſecundam philoſophiam vocant ad res phyſicas pertinentem, eodemque ferme contextu τὰ ἁπλῶς ὄντα, id eſt, materiam primæ, vt loquuntur, & reconditioris philoſophiæ enucleat argutè, doctè, breviter, familiariter: iſte verò τὰ ἠθικὰ, quibus circumſcribuntur boni mores, ſanctéque feruntur juſti & injuſti leges, ad ſingularem cujuſque hominis inſtitutionem, ad rem domeſticam gubernandam, ádque publicam neceſſariæ. Succedunt tandem his facultates (ut appellantur) ſummæ, hominémque bene informatum & inſtructum in ſuo genere ad πρακτικὴν velut ducentes manu, θεολογικὴ, νομικὴ, ἰατρικὴ. Quarum illa quæ Theologia appellatur fontes ſuos non alibi quàm in cœlo habet, rivi in homines verbo & Scriptura ſacra ex mera Dei gratia defluxerunt: Hæ verò fontes ſuos ab orbis conditu in philoſophiæ penetralibus, natura ipſa duce & teſte habuerunt. Ethicam enim Iuriſprudentia, Phyſicam Medicina quàm latiſſimè ad commoditatem generis humani privatim & publicè diduxerunt. Gymnaſiorum igitur ſpecies fermè quatuor ex hoc ordine (nam totidem fuerunt olim) conſtitui poſſunt: prima, eorum in quibus linguarum doctrina fuit expoſita: ſecunda, in quibus inſtrumenta ſubminiſtrantur & artes ad philoſophiam præviæ: tertia, in quibus aperiuntur ſtudioſis & pateſcunt receſſus philoſophiæ: quarta denique eorum, in quibus ſummæ illæ facultates, quas poſtremo loco diximus, juventuti explanantur ex uſu Reipub. Omnia autem inde a principio ſtudiorum, ex quo Cadmus literas intulit, apud Græcos Cadmiæ ſive Academiæ nomine donata ſunt.

Quamquam, ſi literaturam exceperis, gymnaſia olim perpauca, ac penè nulla in Græcia tota extiterunt, ubi traditus fuerit linguarum uſus. Singuli enim philoſophi

& philoſophorum principes in regiones quidem exterás commigrabant diligentiſſimè, unde rerum ſcientiam apportarent: ſed linguarum, quas unà didicerant, notitiam diſſimulabant ſtrenuè multis nominibus. Primum illud eſt, quód uſque adeò ſibi ſapere videbantur ut res potiùs quàm linguas ſua occupatione dignas judicarēt. Secundum, quòd iſtud doctrinæ genus magnis illis viris emporeticum magis eſſe quàm philoſophicum videretur. Tertium, idque (vt mihi quidem videtur) maximè omnium veriſimile, quòd mallent ipſi autores & inventores earum rerũ quas docebant haberi apud ſuos, quàm aliis hominibus & linguis exteris laudem quam decerpebant tribuere: licet doctrinam ſuam, veriſſimam ſemētem laudum ſuarum, ab illis exteris accepiſſent. Itaque nec tum apud Græcos alióſve, nec diu pòſt doctrina linguarum floruit, donec Romani ſcientiam exteram hauſturi aliunde præceptores & interpretes linguarum haberi in Repub. ſua curaverunt. Primùm enim religionum ſuarum cauſa Oſcam ſive Ethruſcam linguam a Phœnicibus ortam, quā in Sibyllinis, Pompilianis, Saliaribus, & Auguralibus libris utebantur, deinde verò longo pòſt intervallo Græcam viſum eſt ediſcere. Quapropter Catonem illum ſenem pro miraculo habebat poëta Ennius, quòd trilinguis homo, id eſt, linguarum trium cognitionem adeptus eſſet, Latinæ puta, id eſt, vernaculæ, Oſcæq; & Græcæ. Adeo ſera fuit linguarum diſciplina.

Secundum genus, τὸ λογικὸν, floruit Athenis fuitque celebre, primùm quidem in Academia illa propriè apud Athenienſes dicta, deinde verò in Lycéum & Stoam fuit derivatum. Etenim Lycéum, gymnaſium alterum, omni inſtrumentorum & artium genere Ariſtoteles relicta Academia exornavit. Stoā verò Zenones duo, Citticus

&

& Eleates auditor Parmenidis, & quicunque hos sequuti sunt, [...]iliores arguti oresque omnes illi τῆς λογικῆς καὶ σοφιστικῆς artifices: quos optimè Ariston quondam similes prædicabat esse edentibus cancros & astacos, qui propter exiguum alimentum pertenui cum fructu in ossibus & testis plurimis occupantur. Atque hoc serò quoque in urbem Romam ingressum est: & ubi ingressum est, perdiu jacuit, nec ita magno in pretio fuit. Nam *rhetorum turba referta fuerunt omnia*, inquit Tullius in primo de officiis: merces verò dialecticorum mina fuit habita, donec succedente Grammaticorum grege aucta est dialecticorum autoritas. Idem enim Romanis olim primò videbatur, ac cuidam apud Athenæum, qui medicos omnium futuros fuisse miserrimos affirmabat, nisi manipuli Grammaticorum exstitissent. Tandem verò istud doctrinarum genus in pretio & honore fuit, si Suetonio credimus: etsi ne nunc quidem ea autoritate est, ut nomen obtineat Academiæ.

Tertia gymnasiorum species φιλοσοφικὴ, verissimè ex Atheniensi illa & laudata Academia processit, quamvis ab exteris hausta & percepta primùm, & in ea culta & conservata sit quam diutissimè: posteà verò à Lycéo, Stoa, Cynosarge, aliisq; s[...]is fœtibus (ut de Cadmea progenie poëtæ fabulati sunt) oppugnata est Academia, scissa, & divexata maximè, ambitiosis multorum contentionibus. Tantus enim philosophorum æstus πρὸς καινολογίαν καὶ ματαιοπονίαν fuit in suis dogmatis profundendis & pervicaciter asserendis, ut nationum fermè trecentarum examen in isto genere ad memoriam usque suam Themistius scripserit exstitisse. De hoc autem genere sic ait Tullius, *Philosophia jacuit usque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen literarum Latinarum: quæ* Lib. 1. Tusculan. quæst.

illustranda & excitanda nobis est, ut si occupati profuimus aliquid civibus nostris, prosimus etiam, si possumus, otiosi. In quo eo magis nobis est elaborandum, quòd multi jam esse Latini libri dicuntur scripti inconsideratè ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis; & quæ sequuntur.

Quarta verò gymnasiorum species tum sanè apud Græcos non potuit esse, quum summæ illæ (vt hodie vocantur) facultates nondum judicio publico sic essent cōstitutæ vt sunt, aut ordo a literatis viris perceptus, dispositus, traditusque, aut potentiorum autoritate ad usum publicum cōfirmatus. Nam ubi Theologia, præterquàm in populo Dei? Opiniones verò, superstitionesque gentium, & rituum interpretamenta a luce popelli & vulgi consuetudine ac conscientia tantùm abfuerunt, vt contrà omni tempore penes Hierophantas, mystas, pontifices, augures, divinaculos tecta omnia recondita que permanserint. Testis universa antiquitas, Arnobius, Lactantius, Eusebius, Augustinus, cæteri. Similiter ubi Iurisprudentia? cujus corpus Athenis decem tabulis continebatur; ratio penes πραγματικὸς, judiciū penes Areopagitas, Prytáneas, quingentos, Heliastas erat: Romæ verò XII. tabulis comprehensum, à Iurecoss. per responsa expositum, sine corpore, sine ordine, perdiu jacuit, vt ipse Tullius gravissimè in libris de Oratore & de legibus conqueritur. Quid de Medicina dicam? quæ ab Hippocrate primùm Athenis inclaruit tempore pestilentiæ: posteà verò simulatque emerserat, in treis præcipuas veluti familias miserè dissecta vix tandem in unum corpus ante aliquot secula quasi adstricta est, & in vnam docendi viā. Etsi hæc quoque ipsa hodierno die a recentibus quibusdam ἰατρολόγοις non mediocriter oppugnatur, atque in vulgo traducitur. Harum igitur facultatum (quarum

primam ne fando quidem Athenienses & Romani olim audiverant, duas verò alias singuli fermè qui aliquid sibi sapere videbantur tractabant & tradebant arbitratu suo) harum inquam Academia ubi, quando, quomodo apud illos exstiterit, nemo (si bene memini) ex certis autoribus demonstrare & probare potest, donec Romanum imperium aliquot jam seculis perdurasset, atque ἀπὸ τῆς ἐθνομύθου πλάνης ad Christianam fidem transivisset, salutarisque & θεοπνεύστου sermonis veritatem. Quid igitur, dixerit quispiam, in hoc tempore est Academia? Academia est gymnasium literis, id est, cùm linguis, artibus, & scientiis philosophiæ, tum summis illis facultatibus certo ordine & modo tradendis institutum, sanctisque prærogativis & privilegiis instructum justa autoritate publica, civili & Ecclesiastica. Olim ergo doctorum hominum studia colentium docentiumque celebritas fecit Academiam: nunc autem Academiam facit judicii publici & summi autoritas. Et multa quidem fuerunt olim Academiarum genera: sed usus hoc tempore id fermè obtinet, vt quæ huiusmodi præsidio & autoritate fuerunt stabilitæ, eæ singulari quodam jure & consensione publica nomen sibi vindicent Academiæ. Vera itaque proculdubio fuit olim Academia in populo Dei Hierosolymis, quam Deus lege imperaverat sanciveratque Deuteronomii 18. eaque post reversionem è Babylonia fuit restituta ex mandato Artoxerxis Regis & autoritate publica, Esdræ 7. vt in ea constaret doctrina certa sanctaque de rebus non Theologicis solùm, verumetiam politicis & ad jus civile pertinentibus. Posteà verò imaginem potiùs & speciem Academiæ Iudæi habuerunt, quàm rei veritatem, ex quo labi cœpit Respublica & doctrina sacræ Theologiæ ad

ambitionem, avaritiam, luxum, vanitatemque Scribarum & Pharisæorum traduci indignissimé. Eodem autem exemplo, postquam Romanum Imperium didicit fasces Christo Domino & Regi æterno submittere, Volaterranus autor est positam fuisse Bononiæ in Italia Academiam a Theodosio juniore; quam per idem ferme tempus Ambrosius semirutæ potiùs urbis cadaver quàm urbem fuisse scribit. Sic Iustinianum Cæsarem mandavisse legimus, vt studium juris civilis a se compilati Romæ, Constantinopoli, Beryti, tanquam in Academiis Cæsarea autoritate sua fundatis doceretur: sic à Carolo magno Parisiensem, Papiensem, Ticinensem Academiam fuisse conditam historiæ narrant: Aurelianensem à Philippo Galliarum Rege, cui agnomen pulcro: Cracoviensem ab Vladislao Iagellone Rege Poloniæ: hanc Heidelbergensem à Ruperto primo, Electore Palatino, &c.

Lib.2.Epistol.8.ad Faustinū. tit.de juris docendi ratione, ff.

Quæ cùm ita sint, justam Academiarum nostrarum materiam esse statuimus treis illas summas facultates præstantissimasque omnium, quæ in divinæ gratiæ, humani juris, & curationis medicæ professionibus versantur: quarum elementa sunt artes & linguæ, rudimenta verò (si a Theologia discesseris) moralis & naturalis philosophia, Matheses adjumenta: formam verò non esse aliam, quàm publicum illum ordinem certis cancellis disclusum sapientissimè, & sanctas leges privilegiáque publica potentiorum autoritate attributa, & jure comprobata. Atque hinc duplex Academiarum distinctio nascitur: priòr a materia, posterior verò a forma ipsarum. A materia; tum quòd aliæ in una solùm facultate docenda occupantur, aliæ in duabus solùm, aliæ in omnibus; tum quòd aliæ præterea instructæ sunt documentis

mentis philoſophiæ, velut optimis facultatum ſuperiorum comitibus atque adminiſtris, aliæ id etiam obtinent juris, ut de linguis, artibus, mathematis, & rudimentis omnibus quæ ad tyrones ſunt opus ineunti cōſulant adoleſcentiæ. A forma autem diſtinguuntur Academiæ, non ſolùm quia varius eſt ipſarum ordo, prout à prima inſtitutione & fundatione (ut vocant) placuit autoribus, aut poſt illud tempus reformare viſum eſt ad commoditatem ipſarum & ſtudioſæ juventutis bonum; verumetiam quia varia ſunt earum jura & privilegia, his quidem ex communi ſolùm Academiarum lege conceſſa, illis verò ampliùs ex ſingulari quodam beneficio, & potentiorum, puta Cæſarum, Pontificum & omnium virorum principum indulgentia. Sed ab his omnibus, quia ſunt ſingularia, perveſtigandis hoc loco ſuperſedebimus.

CAPUT QUARTUM.

Quæ partes Academiarum.

ETSI ex iis rebus quas modò diximus, literato cuique homini ſatis expoſita eſt ſententia noſtra de illis partibus in quas juſta Academia diſtribui poteſt: tamen evidentiæ cauſa de hoc argumento aliquid ampliùs breviter & ſtrictim attingemus, ut adumbrata quædam ſummæ hujus rei informatio habeatur. Tria igitur capita ſunt judicio meo in legitima noſtrarum Academiarum forma & conſtitutione obſervanda, perſonæ, actiones earum, & leges ad utrumque pertinentes: de quibus ordine deinceps quàm breviſſimè fieri a nobis poterit, ϗ ὡς ἐν τύπῳ, non minutatim accurateque in hoc capite ſumus perſcripturi.

Personarum genera sunt duo: unum docentium, discentium alterum. Nam ministeria quæ ad hunc ordinem & corpus Academiarum adhibentur commoditatis ergô, quamvis mutatis nominibus, tamen communi sunt cum ordinibus cæteris instituto. Exempli causa, quum Academiæ Cancellarium, Conservatorem privilegiorum, Syndicum, Collectorem, Bedellum, & siqua sunt alia id genus, appellamus: officia sunt in quavis Repub. ad commoditatem ipsius comparata. Quid enim Cancellarius, nisi custos annuli, vt olim dictus est Romanorum Cæsarum temporibus? quid Conservator, nisi χαρτοφύλαξ, & actorum publicorum custos? Syndicum actuarium esse Academiæ, Collectorem Quæstorem noverunt omnes. Bedellus verò (quem ego quidem voce Teuthonica Beutellum magis dixerim à mandatis perferendis) quid nisi apparitor, accensus, & stator dicendus est? His igitur omissis, virorum docentium, ut gymnasiorum, classes sunt quàm plurimæ. Hi enim suis in pædagogiis elementa, rudimenta, linguas, instrumenta scientiarum, & artes docent, illa accuratiùs & scrupulosiùs, has pinguiùs & crassiùs tyronibus exponentes: illi verò in altioribus gymnasiis, & grandiorum provectiorúmq; ἡβητηρίοις. Et quemadmodum hi distinctè per suas classes pædagogiam exercent, & ruditati puerorum accommodant suum institutionis modum: sic etiam illi per suos ordines studiis præsunt juventutis, eaque provehunt singuli suo doctrinarum genere. Nam linguas, artes, ipsamque adeò philosophiam exponunt auditoribus: linguas quidem & artes Magistri passim, hanc verò etiam Doctores philosophiæ in Italia dicti. Sūmas verò facultates illas qui tradunt publicè, etsi communi cum proximè præcedētibus appellatione Professores dicuntur in civili

ii jure; singularia tamen sunt nomina, quibus hi cùm apud antiquos tum apud homines nostros distincti & insigniti sunt. Etenim vetera illa Imperatorum iura Antecessores eos appellarunt, id est, Kadmos sive Academos, ut res Romanas cum Phœniciis, partum nempe cum suo parente, comparemus: his verò temporibus nostris id lex & cõsuetudo obtinet, ut Doctores vulgo, adde etiam (si placet) distinctionis ergô Doctores regentes (quod Gallia observat plurimùm) nuncupentur. Quod epitheton professoribus in Academia docendæ juventuti operam consumentibus eo apponitur, ut a Doctoribus aliis tum honorariis, quos vulgus Doctores bullatos vocat, tum creatis & renunciatis distinguantur, qui cognitione justa & solenni Academiæ alicujus testificatione probati negotiis publicis implicantur, non otio Academico. Qui enim regentes sunt, si non potentia Doctores solùm, aut actuosi rerum quæ ad publicum spectant procuratores sunt πραγματικοὶ, sed vocatione publica Academiæ, actu, & legitima administratione docent quæ suæ facultatis sunt.

Horum verò Doctorum quos Hebræi Morim & Melammedím appellabant (unde natum est Palamedis nomen) aut etiam patrum, prout in rebus sacris ferè ab inferioribus discipulísque vocabantur, numerus in priscis illis Academiis pervarius & incertus fuit pro commoditate loci ubi instituebantur; sive facultates omnes in eis, sive vna solùm constituta esset. Principio enim singulis facultatibus ita prospectum est, ut Professores earum deni haberentur, qui singulas diei horas, antemeridianas & pomeridianas in explicandis facultatis suæ dogmatis possent consumere. Ex eo autem numero ordinis & commoditatis causa unus aliquis deligebatur ex lege, colle-

gio huic & corpori facultatis suæ præfuturus. Deligebatur autem sive pro ratione temporis quo in professione Academica versabatur (quod simplicissimum est, antiquissimum, & minus infestum ambitionibus) sive ex ætate doctrinâve, quæ via ambitiosis factionibus magis est pervia. Quòd si per vices fit, ut hîc fit hodierno die, ea non electio, sed successio dicenda est. Huic ergo Decani vel Decurionis imponebatur nomen, quòd suæ decuriæ præses & moderator esset. Atque hinc factum illud est, quòd adhuc in Academiis nostris Decani parmanet appellatio. Posteaquàm verò numerus Academiarum auctus & amplificatus, deminuta commoda, & a potentioribus quacunque specie in rem suam versa sunt (cujus rei vestigium adhuc non obscurum exstat, quòd etiam hodierno die Ecclesiæ quædam collegiatæ plurimis in locis appellantur) detrahi necesse fuit in pædagogiis de præceptorum & παιδαγωγῶν, in Academiis de Professorum Doctorúmque regentium numero, ut eadem opera & tenuitati Academiarum, & Professorum alimentis, & studiosorum commodis consuleretur. Alioqui enim Professoribus Academiæ & studiosi fuissent omnino cārituri, & humaniorum literarum studia jacuissent, facultatúmque superiorum adjumenta. Intereà verò Decani vel Decuriones dici perrexerūt hujus corporis in facultatibus singulis, quamvis deminutis numero, πρεσβεῦτης: sive antiquiores illi in sua professione essent (quod olim non imprudenter ambitionis prævertendæ & certæ commoditatis causa antiquitas factitauit) sive per vices in functione ista succederent annua, bima, trima, quadrima die.

Discentium verò sive discipulorum auditorúmque classes pro ratione temporis & profectus esse differenteis res ipsa loquitur, & nos sequente capite, si Deus dederit, ostende-

ostendemus. Etenim priscæ singularum Academiarum leges definitum dixerunt tempus; profectum verò discernit exploratio, quam lege & more fieri flagitat ratio in graduum, quos vocant, honoribus conferendis. Atque hunc quidem usum in populo Dei olim fuisse obseruatum ex Lege, nemini dubium esse potest qui librum quartum Mosis perlegerit: cùm in eo Sacerdotibus, Levitis, & Dei administris tempora tyrocinii, progressus, ministerii, functionis, & vocationis ab ea præfigantur. Nam tyrocinio ad disciplinas quæ sunt opus percipiendas universum pueritiæ & adolescentiæ tempus, ad vigesimum vsque ætatis annum; tyrocinio ad ministerium capessendum præeunti proximè, anni quinque; ministerio succenturiato, anni totidem; functioni justæ & liberæ, viginti anni, puta a trigesimo ad quinquagesimum fuerunt deputati. Postremò autem vacatio a ministerio & laboriosa functione quavis, tamquam emeritis, data est quinquagenariis: non ut ventres otiosi essent, ut aves altiles in saginario aut in hara porci; sed ut doctrinæ solummodò tradendę, ab obeundis laboribus cæteris immunes, attenderent. Hæc ergo legitima spatia jam olim a Deo in Iudæorum gente imperata. Sed quia certa quædam propriáque discentium discrimina per gradus honorum, veluti cancellos, sapienter disclusa sunt communi Academiarum lege, nos ea omnia in caput sequens certo consilio rejicimus, ubi disertè de discretione graduum & honorum collatione dicturi sumus.

Iam ergo id unum restat, ut de tertio loco, id est de legibus dicamus paucis. Quæcunque leges latæ sunt Academiis, aut ad officia & functiones pertinent eorum qui tamquam membra censentur in Academiarum corpore, aut ad iustum & decentem ordinem, aut ad beneficia &

ornamenta in eas collata, quæ vulgo dicuntur privilegia.

Officia autem munerâque alia ſunt eorum qui diſcunt, alia docentium. Auditorum, qui in ſtadio Academico decurrunt ſtudiorum curſum, officia plurimùm deſcribunt leges quædam communes omnium, & quædam ſpeciales illius ſtudii ſive facultatis cui dant operam. Quo nomine ſapienter ſanè fuit illud a maioribus noſtris inſtitutum, ut communeis ſtudioſorum leges, quas a ſingulis tenéri Academiæ ipſorúmque intereſt, omnibus palàm in Academia quotannis Rector; ſingulareis verò atque priuatas facultatum, quiſquis Decanus in ea futurus eſt prælegat auditorum numero ad facultatem ſuam pertinenti. Nec abſimilis eſt ratio in hominum docentium Profeſſorúmque legibus. Nam harum aliæ conſimiliter ad commune pertinent Academiæ, cuiuſmodi eæ ſunt quæ de Rectore, Senatu, conſilio, adminiſtratione, & defenſione totius universitatis vel Academiæ: aliæ ad proprium facultatis bonum & officium ſingulare, ut ſi qua de doctrinæ ſumma aut capite ullo, de profeſſionum modo, ordine, tempore, loco, &c. de facultatis iure, & Profeſſorum in ea commodis habenda erit conſultatio: aliæ denique ad ſingulorum functiones ſpectant, ut ſi quando fortè de lectionibus, doctrina, & circumſtantiis omnibus præſcribitur ſingulis quod facto opus eſt. Hæc enim venire interdum in quæſtionem ſolent.

Ordinem qui a ſtudioſa juventute in Academiis legitimè ſervari debet, commodéque poteſt, cùm in ſtudiis colendis, tum in adipiſcendis honorum gradibus, proximo capite exponemus. Quiſnam autem ſit Rectoris ordo in tota Academia, & facultatum inter ſe, & uniuſcujuſque Decani in collegio facultatis ſuæ; id ſingulares Academiarum

miarum leges præscribunt plurimùm, aut ex vetere & diu recepta in singulis consuetudine cognoscitur. Consuetudo enim (ut Iurecoss. aiunt) habetur pro lege, neque temere in hoc argumento perfringi debet: ne cujus ambitione publicus ordo dicatur violari, néve in gratiam ullius sternatur via ad alia consimilia, quæ bene instituta aut recepta non malè fuerint, perrumpenda.

Sed quid de beneficiis aut privilegiis Academiarum dicturi sumus? Exponemus paucis. Privilegiorum alia sunt ex communi, alia ex singulari jure attributa huic aut illi Academiæ. Hæc autem sapiens antiquitas literarum humaniorum alumnis concessit & dedit providentissimè, ut liberaliore bonorum studiorum cultura ampliùs accenderentur & inflammarentur ingenia juventutis ad res majores, & salutem Ecclesiæ commodáque Reipub. viri scientiis literarum aucti & ornati faciliùs ac meliùs proveherent. Hæc verò tempora, proh dolor, quę odio infestissimo & contemtu literarum indigno flagrant, non facilè ornant honoribus, & privilegiis augent Academias, intermorientibus scientiis, humanitate discedente, pietate profligata, invalescente barbarie, armis grassantibus. Verumtamen, ut ad lineam, ex communi jure privilegia quæcumque habent & fruuntur Academiæ, duobus capitibus includi possunt: nempe vacatione ac immunitate ab oneribus, & commodorum prærogativis honorúmque accessionibus. Hæc enim duo capita fuisse olim gymnasiis & scholis in populo Dei attributa, aliquot in locis Moses demonstrat luculentissimè. Phœnices, Chaldæi, Indi, Ægyptii, alii honorem istum literarum studiis religiosè & semper habuerunt. Quid? quòd ne ipsi quidem Philistæi, quo tempore in tota fermè Iudæa potiebantur rerum, sacras Prophetarum

ſcholas & aſceteria auſi fuerunt infeſtare, ſed Prophetis doctoribus atque diſcipulis locum ſuum, functiones, otia, honores integros & inviolatos permiſerunt? hoc autem ſacra hiſtoria priore libro Samuelis declarat evidentiſſimé. Quantum gens Græca Academiæ & gymnaſiis, Muſarúmque delubris (ut Tullius ex vſu Græcorum vocat) in hoc genere indulſerit nemo ignorat qui bonos autores legit: pleni ſunt illorum libri, plenæ hiſtoriæ iſtius rei teſtimoniis. Quæ omnia Tullius ad Varronem ſcribens commodè elegantérque his verbis complexus eſt, *Quæ ſtudia, magnorum hominum ſententia, vacationem habent etiam publici muneris, iis concedente Republica cur non abutamur?* In primis verò teſtantur Græca & Romana jura, civilia & Eccleſiaſtica, Cæſarea & Pontificia: Pandectæ, Codex, Novellæ conſtitutiones, reſcriptáque & authenticæ, quibus iam olim ornata fuerunt & amplificata Academiarum iura. Hæc enim autoritate & conſenſu omnium, cum Ecclaſiarum jure, tanquam ſacra ad pios uſus collata in Academias & inſtituta, comparantur. Meritò id quidem: cùm Academiæ ſint optima optimarum Rerumpub. primordia, Eccleſiarúmque ſeminaria, hæ verò fructuoſi optimarum Academiarum partus.

Lib. 9. epiſt. 6. ad famil.

De ſingularibus autem privilegiis & prærogativis, quas huic aut illi Academiæ potentiſſimi Cæſares & fortiſſimi quique ac religioſiſſimi Principes piè tribuerunt reſcriptis certis & ſingularibus; de his igitur non eſt hic dicendi locus. Nam ea tantùm quæ ſunt generalia percurrimus; & quo ſunt notiora, eò leviore brachio perſtringimus: quæ verò ſpecialia & ſingularia ſunt in Academiis, ea nec rimari cupimus, nec poſſumus percurrere, tum quia vix vnquam, ac ne vix quidem rerum ſingularium & individuarum (ut vocant) mens humana ſcientiam

tiam assequutura est; tum verò quia summa est earum in hoc tempore (ut Philosophi περὶ τῶν ἀτόμων dicunt) inconstantia & instabilitas.

CAPUT QUINTUM.

Qui sint ordinarii gradus in Academiis.

Omnia autem illa jura & beneficia ne fortè in homines indignos, adde etiam ingratos, collata fuisse viderentur, piè sanè sapientérque majores nostri cauerunt prospexerúntque, vt in literarum studiis, probationibus, testimoniis, honoribus certos gradus Academiæ observarent, quibus progressa ex ordine juventus studiosa ad legitimam quamdam studiorum suorum metam contenderet. Quæ res etsi interdum, præsertim magnis viris ludicram speciem aliquam παιγνιώδη puerilémque visa est habuisse, summa tamen cum dignitate amplissimóque fructu peragitur, si bene & legitimè procuratur. Ac de studiis quidem, ordine, gradibúsque ipsorum in tertio cap. jam antè diximus ea propè omnia, quæ satis fermè ad institutum nostrum putamus pertinere. Nam studiorum gradus sunt in pædagogiis, sunt in gymnasiis scholísque maioribus, & Academiis: quos omneis gradus veneranda illa antiquitas propterea disposuit & præfixit lege; ne imprudens & imperita ætas lubrico deciperetur, néve curiositate abrepta juventus aut præsumtione ebria (quam elegantissimè olim Democritus ἐγκεπλὼ προκοπῆς appellabat) extra stadium plus satis excurreret magno malo literarum & suo. Nam hoc pacto fit ut vaga illa & instabilis ætas seipsam perdat, a curriculo suorum studiorum abludens, & illos amplissimos scientiæ thesau-

ros illotis (quod ajunt) manibus contrectans inquinet turpissimé. Id ergo iuventuti videndum fuit, ut a carceribus ad calcem recta via compendióque perveniret: hoc autem quia nec bene nec semper ætas illa facit (faciunt enim paucissimi) majores legibus & quasi repagulis quibusdam positis bonæ illi ætati prospectum esse voluerunt. Sic in pædagogiis pueritiæ consulitur, ut certis principiis progressionibúsque ad certam aliquam linguarum scientiam perducatur per eas quas vocant classes: atque in eis rudimenta καὶ εἰσαγωγαὶ ad bonas artes & melioris scientiæ instrumenta eidem ætati exponuntur. Sic in Academiis, vbi ex pædagogiis suis excessit adolescentia, traduntur progressiones certæ ad instrumenta, artes, mathemata, ipsámque adeò philosophiam: quæ spatia postquam justo legitimóque tempore decurrerunt juvenes studiosi, aditus ad facultates illas quas superiores dicunt permittitur. Vt ad facultates ventum est, non dispari quoque ratione & modo carceres, lineæ, metæ discendis & consequendis iis constitutæ sunt.

Ad hæc verò studia, studiorúmq; gradus in Academiis commodè institutos accedunt tria illa quæ totidem vocibus principio huius capitis perstrinximus, δοκιμὴ, πλεῖαι καὶ τιμαὶ, id est, probatio, testificationes, honorésque publico & solenni judicio in eos homines collati qui in literario hoc cursu constanter ex lege officióque perrexerint. Atque hæc quidem singula etiam in populo Dei, quum Ecclesia Israëlitarum stetit, certo quodam modo fuisse observata non dubitaverim: quorum vestigia quædam in Scripturis sacris compárent, nisi me animus & conjectura fallit. Sed quia vestigia illa quæ dicimus obscurè adumbrantur magis quàm clarè exponuntur, ad alias

historias

historias & documenta istarum rerum venturi sumus,& trium illorum capitum quæ modò perstrinximus confirmationem ex eis ostensuri. Etsi quid hîc comprobatione opus in re tam honesta, utili, & necessaria? Probationem igitur illam, quam optimè Græci δοκιμὴν, recentiores nova & inaudita voce probam vel tentamentum dicunt, jam olim Academiæ optimæ habuerunt in Græcia, Latio, Gallia, & regionibus aliis; ut ex Iuvenalis versu quem suprà cap. 2. adduximus, vel pueri novisse possunt. Ejus autem (ne longiores simus) tria sunt genera: nimirum examen, disputatio, & lectio, quæ loci alicujus aut argumenti ad facultatem eamdem pertinentis enarratione & interpretatione concluditur. Examen, vt appellatur vulgo, prævium illud est, quod à facultate, id est, à Doctorum Professorumque ad facultatem unam spectantium collegio & cœtu legitimè adhiberi solet, vt candidati juvenis peritia exploretur. Hoc duobus modis fieri assolet, potestq; commodè, ἀναλυτικῶς καὶ διαλεκτικῶς. Analyticum examen est, in quo Decanus collegij totius nomine, aut cuicunque partes illas Decanus commendaverit, simpliciter hominem interrogat de summis capitibus scientiæ vel facultatis suæ. Exempli causa, si Theologiæ candidatus erit, facultas Theologica explorabit quid sentiat, & quid præstare possit in doctrina de Deo, de homine, de Scriptura sacra, de lege, de Evangelio, de fide & pœnitentia, &c. Si Iurisprudentiæ, inquiret de præceptis juris, de personis, rebus, actionibus, causis publicis & privatis, sacris & profanis, &c. Sin autem Medicinæ, rogabit de subiecto scientiæ illius, puta de corpore humano, partibus, affectionibus, curationibus, medicamentis, temperamentis, causis, &c. Alterum verò examen quod Dialecticum appel-

lamus, illud est quo Doctores & Professores in facultate singuli, prout libet, in contrariam sententiam cum suo candidato disputāt de problematis & dogmatis, sive (ut dicuntur vulgo) de quæstionibus & decisionibus facultatis suæ, seque exercendis cum eo velitationibus literariis, tamquam levis armaturæ, occupant: ut periculum hoc pacto faciant qua scientia, dexteritate, industriaque prædītus ille sit qui adspirat ad certos honorum gradus. Hoc autem genus examinis non solùm est ἐκ συνθήματος, certo definitoque inter agentes argumēto, quum de aliqua materia proposita, condicta, & constituta studuit cādidatus & de ea responsurus est, quam materiam facultas aut facultatis Decanus delegerit, verumetiam αὐτοπροαίρετον in facultate adhibetur, quum Doctoribus singulis qui in collegio facultatis versantur, licet quæstiones & argumenta quæcumque in mentem & buccam venerint afferre contrà, & respondentis candidati eruditionem variis problematis objectionibusque per satyram (ut aiunt) contari atque explorare. Optimum profectò cùm præsentis animi, tū fidelis in ea facultate studii, certissimúmq; solidæ eruditionis ac scientiæ documentum. Atque in uno quidem examine quod modò dicebamus, vel potiùs unica illius parte acquiescunt plurimùm Academiæ in Gallia, Italia, & regionibus aliis: quæ propter frequentiam & celebritatem locorum abundant majore candidatorum numero. His enim si tempus justum ad cæteros actus quos leges imperant tribui oporteret, neque dies anni peragendis iis ex lege sufficerent, neque habendis lectionibus ordinariis vacuum ullum tempus restaturum esset. Ordinarias quippe occupationes extraordinariæ planè interverterent. Quod autem illæ celebres Academię omittūt facere propter cōmoditatem, id

id Germania accuratè servat publici ordinis causa legũ-q; plurimùm. Nã Doctorũ professorúmq;, ut vocãt, Collegiatorũ examen publicæ disputationes & lectiones solẽt excipere. Ac disputationes quidẽ publicæ, ita se habẽt ut de alteris modò dicebamus. Aliæ enim suum certumque πρόβλημα ἐκ συνθήματος habent, id est, fiunt super thesibus (ut dicuntur vulgo) quæ de uno aliquo argumento disputandæ in publico proponuntur :- aliæ verò sunt σύμμικτοι καὶ αὐτοπροαίρετοι (quodlibeticas dicunt) id est, miscellæ sive commisculæ & collativæ disputationes ex infartilibus quæstionibus constitutæ; prout opponentibus de hac aut illa quæstione conferre; & candidati sciẽtiam obtrusis farctim materiis tentare placuerit. Harum autem disputationum priores magis sunt dialecticæ, posteriores ἐριστικαὶ sophisticæque: ac proinde optimè à Nazianzeno Græca voce dicuntur ἐρεσχελίαι, cùm in eis candidatus magis (ut idem ait) ἐρεσχελεῖται, quàm studiosus auditor οἰκοδομεῖται. Non enim id solum quæritur in hoc disputationis genere; ut innotescat hominis eruditio, sed etiam illud alterum, ut tentatis exploratisque illius moribus videatur, utrùm aptus sit néćne audiendis ferendisque aliorum communicationibus contrà sentientium, & hominum quamvis morosorum vitiis tolerandis inter disputandum & agendum. Doctum enim virum humanioribus literis imbutũ ea modestia oportet esse apud omneis, Platone ipso & Cicerone testibus, ut & refellere paratus sit sine pertinacia, & refelli sine iracundia. Etsi ne hoc quidem ædificatione vacare potest, si cùm opponentes juvenes modestiam & studium, tum ii qui præsunt gravitatem autoritatemque adhibuerint rebus in hoc genere prævertendis atque compescendis.

In orat. de Basilio.

In Gorgia. Tuscul. quæst. lib. 2.

Hæc omnia tandem sequitur lectio, commoditàtis in

Primùm igitur(vt missas faciamus promotiones illas pædagogicas quibus puerilesanimi ad virtutē honorēq;, virtutis præmiū,non mediocriter accendūtur) qui pædagogicum studiū ἐν τοῖς λογικοῖς emensi sunt; iis postquā justo aliquo spatio audiendis lectionibus publicis in antegressis fuerunt confirmati, & scientiæ instrumenta hauserunt rudimentaq; philosophiæ, iis inquam bacca laurea decerni, & publicè tradi solet, tamquam fundamētorum bene feliciterque positorum in primis literarum humaniorum studiis. Atque hic primus est τῆς πλετῆς βαθμὸς, vt dixerunt veteres, primus honorum in publico gradus, quem Nazianzenus σοφιστικὸν θρόνον eodem in loco quē paulo antè attingebamus appellavit. Qui enim ad hunc gradū pervenerant & in eo conquiescentes non adspirabant altiùs, σοφισταὶ dicebantur, vt qui non res sed verba, non philosophiam, sed instrumenta & quasi imaginem quādam philosophiæ in verbis positam profiterētur, nec ampliùs quàm τὰ λογικὰ profiteri possent Academiarū lege & more antiquissimo. Hoc modo Libanius & alii sophistæ dicti.

His post legitimum tēporis spatium justúmque profectū in gravioribus studiis philosophiæ, habita cognitione & probatione facta, si idonei comperti sint, secūdus gradus superiorq; tribuitur, data laurea, id est, corolla plexa ex lauro, quā vocant lauream Magisterii. Atq; hic summus gradus studii philosophici, ex quo in Germania & alibi Magistri, in Italia etiā Doctores philosophiæ nominantur, ubi assequuti sunt τὸ φιλοσοφικὸν δεῦγμα, editoq; eruditionis & sciētiæ suæ specimine Magistri sive Doctores renunciati. Sic enim me autore apud Nazianzenum oportet legi pro eo quod vulgo habetur δόγμα in istis verbis, quibus effert Basilium laudibus elegātissimè: ῥήτωρ ἐν

ῥήτορσι, καὶ πρὸ τῶν σοφιστικῶν θρόνων· φιλόσοφος ἐν φιλοσόφοις, καὶ πρὸ τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ δειγμάτων· τὸ μέγιστον, ἱερεὺς ἐν χριστιανοῖς, καὶ πρὸ τῆς ἱερωσύνης. Summus, inquit, inter Rhetores Rhetor, etiã priusquàm sophisticos thronos adeptus esset: philosophus inter philosophos, etiam priusquàm renunciationes obtinuisset eas quæ in philosophicis usurpantur: denique quod omnium maximum, inter Christianos sacerdos, etiam priusquàm functionem sacerdotii suscepisset.

Hic autem ritus, quem hodierno die nostræ observant Academiæ, lõgè ampliùs simplicitatis, honestatis, & gravitatis habet, quàm vetus ille mos à Kadmi posteris seu Academicis observatus apud Athenienses, & inde ad gẽtes alias translatus: puta quum solenni pompa cãdidatus in balneum sive lavacrum duceretur, fierentq; cętera quę ibidem ab eodem Nazianzeno copiosè his verbis exponuntur: ἔπειτα ὁ ἐρεσχελούμενος πομπεύει διὰ τῆς ἀγορᾶς ἐπὶ τὸ λουτρὸν παραγόμενος. ἡ πομπὴ δέ. διατάξαντες ἑαυτοὺς στοιχηδὸν κατὰ συζυγίαν ἐκ διαστήματος οἱ τελοῦντες τῷ νέῳ τὴν πρόοδον, ἐπὶ τὸ λουτρὸν προπέμπουσιν· ἐπειδὰν δὲ πλησιάσωσι, βοῇ τε πολλῇ καὶ ἐξάλμασι χρώμενοι, καθάπερ ἐνθουσιῶντες· κελεύει δὲ ἡ βοὴ μὴ προβαίνειν, ἀλλ᾽ ἵστασθαι, ὡς τοῦ λουτροῦ σφᾶς οὐ παραδεχομένου· καὶ ἅμα τῶν θυρῶν ἀρασσομένων, πατάγῳ τὸν νέον φοβήσαντες, εἶτα τὴν εἴσοδον συγχωρήσαντες, οὕτως ἤδη τὴν ἐλευθερίαν διδόασιν, ὁμότιμον ἐκ τοῦ λουτροῦ, καὶ ὡς αὐτῶν ἕνα δεχόμενοι. Καὶ τοῦτό ἐστιν αὐτοῖς τῆς τελετῆς τὸ τερπνότατον, &c. Postquàm verò, inquit, contentionibus exagitatus est, procedit pompæ solennis ritu, & per forum ipsum ad balneum sive lavacrum deducitur. Hic autem est pompæ modus. Disponunt seipsos per intervalla suis ordinibus binos qui candidato juveni honoris ergô præunt, & ipsum ad lavacrum procedentem sic deducunt pompali modo

modo. vt autem accesserunt propiùs, clamore magno & exsultationibus utuntur velut lymphati. Sed jubet vox (opinor τῦ προαγωγῦ quem vulgo promotorem vocant, aut certè Professoris alterius) ne progrediantur ulteriùs, sed ibi consistant, ut pote cùm non sit eos capturum balneum. Tum itaque simulac pulsaverunt fores, complosione juveni injiciunt metum, deinde faciũt ingrediendi copiam. Hoc demum modo receptum, *Professores puta*, dant ei libertatem, eumque honoris ex æquo consortem velut unum de suo numero excipiunt ex lavacro illo procedentem. Atque hæ quidem sunt initationis partes candidatis illis jucundissimę, &c. Iam verò tempus est veniamus ad facultatum illarum gradus quæ superiores appellantur.

Post elementorum ergo, rudimentorũ, instrumentorum, doctrinarumq; omnium perceptionem legitimam quas superioribus illis facultatibus oportet ancillari; studia demum graviora in Theologia, Iurisprudentia, Medicináve occupantur, velut scientiis cum publico humani generis usu & bono conjunctissimis. Ac sacræ quidem Theologiæ studiosos & rebus divinis daturos operam sic olim quasi deductos fuisse manu in populo Dei per certos legitimosque gradus, exempla & leges Israëlitarum docent. Exemplo sit Samuel, & quicunque a primis annis Deo fuerunt consecrati legitima, aut etiam votiva consecratione. Legem superiore capite evidenter exposui- Num. 4.
mus, judicio meo. Nam ad vigesimum vsque ætatis annum instruebantur illis præeuntibus ad rem divinam adjumentis, rudimentisque doctrinæ cælestis. Hic primus studiorum gradus. Inde ad vigesimum quintum in rerum ampliorum cognitionem & scientiam provehebantur: ut eo demum anno consortes essent.

honoris alicujus & ministerii, sed tamen secundarii. Hic secundus, & quasi Licentiæ (ut appellatur) gradus. Tandem verò quum ad trigesimum ætatis annum pervenissent, renunciabātur ὁμότιμοι, justamq; suæ functionis ἐλευθερίαν adipiscebantur, ut Deus ipse Mosi præceperat. In Iurisprudētię autē studio non ita fuit olim constituta ratio, quū per annos magis numeraretur studii illius cursus, quàm ratio profectus (ut profectò opus est) haberetur. Etenim primo anno, quo juri primùm juvenes dabāt operam, priùs Dupondii per contemtum, post Iustiniani novi ex rescripto fuerunt appellati, secundo Edictales, tertio Papinianistæ, quarto λύται quasi jam apti solvendis quæstionibus ex iure propositis, sive (vt hodie vocantur) licentiati, quinto προλύται ac velut Doctores creati & pronunciati sunt. Nec diversam fuisse Medicorum studii rationem est verisimile, ex quo publica autoritate constitutum est Medicinæ corpus, discidiaque nationum medicarum vtcunque sublata.

Nostræ verò Academiæ inde a Caroli magni Cæsaris temporibus sanè commodiorem quamdam viam in his rebus videntur inivisse, vt non æquè temporis ac profectus & scientiæ ratio in candidatis haberetur. Tres enim gradus ad has facultates singulas fuerunt instituti, infimus, medius, summus, ad diuinæ legis imitationem. Infimus gradus eorum appellatur, qui in locorum (ut vulgo dicuntur) communium, & primarum institutionum intelligentia scientiaque adeò provexerunt, ut de sententia judicioque Collegii ducantur aliquo honore digni pro studiorum suorum fide, quæ in divina, civili, medicáve scientia naviter occupaverint. His bacca laurea symlolum honoris tradebatur, olim Apollini & Musis sacra: & ex ea dicti

Bacca-

Baccalaurei, ut antè diximus, non autem (ut leve Magistellorum vulgus existimat) Bacularii. In Academiis fiunt Baccalaurei; in sylvis sunt Bacularii, qui ligneos vient fasciculos, ut a Iurecoss. nominantur. Medius gradus eorum dicitur, qui in suæ facultatis studiis tantas progressiones fecerunt, ut de sententia Collegii sive facultatis suæ judicentur idonei quibus liceat docere elementa & instituta prima facultatis suæ, & de cætero exercere ea munera extra Academiam quæ facultati suæ coniuncta sunt, atque ad gradum summum, quum erit animus & commoditas, contendere. Horum itaque capiti imponebatur laurea libertatis index, quam dicunt licentiam, eo quòd libertatem illam in ea facultate quam colebant tum demum adipiscerentur, licet a cæteris commodis abstinerent quę in summum gradum tantummodo conferri solent. Summus verò gradus eorum est, qui in iisdem studiis ita sunt versati, & Collegio facultatis quasi plenam & absolutam eruditionem suam ita in eo genere probaverunt, ut dignissimi ab eo pronuncientur palàm qui & doceant & exerceant omnia ad suam illam facultatem pertinentia, & secundùm divina humanáq; jura omneis honores, dignitates, officia, beneficia, & commoda obtineant quę literatissimis viris, Doctoribus meritissimis, & Professoribus lectissimis fuerunt attributa. His autem symbola jam olim plurima, & a plurimis collegiatis (ut vocant) εἰς νομίμοις πλεταῖς de more & instituto collata sunt: plurima quidē, ut quàm plurima hujus summi gradus cùm officia, tum ornamenta designarent: a plurimis verò, ut singulis qui in collegio suæ facultatis erant in hac solenni administratione suæ partes essent, & singuli consensionem suam judiciúmque legitimum testificarentur in ea novi Doctoris renunciatione. Etenim,

l. vltim. ff. de iure immunit.

probi & sciti Doctoris officium libro & cathedra, ornamenta & commoda pileo cingulo annulóque, consensionem εἰς τὸ ὁμόθυμον osculo & benedictione confirmabant. Librum a Doctoribus versari & teri quis nescit oportere? neque id tantùm ut fiant ipsi in dies assidua lectione & studio doctiores, sed etiam ut in cathedram suggestúmque conscendant ubicunque vocatio legitima fuerit oblata, & ex eo superiore loco doceant pro autoritate quę ipsis judicio publico attributa est, & pro ea quam dederunt fide. Pileo libertatem, cingulo militiam, annulo dignitatem, consociationem & pacem gratulationémque osculo, benedictione denique consecrationem quamdam significabant in novo munere, & partis susceptísque Dei ope & gratia honoribus. Atque hæc a singulis singula olim collata, posterioribus seculis ad commoditatem vni soli cuncta fuerunt demandata, re tamen integra permanente. Sic igitur uno eodémque tempore tria illa simul conjuncta sunt quæ principio capitis distinximus. Nam & studiorum antecedentium progressus legitimè cognoscũtur, & ea cognita legitimam suam testificationem consequuntur, & ornata suo testimonio διὰ τῆς πλείης ad legitimos honores & jura literarum studiis & summo eorum gradui attributa promoventur quàm honestissimè ex communi jure, & laudabili majorum nostrorum instituto.

Caput

CAPUT SEXTUM.

Quæ causæ & effecta graduum in Academiis.

ATque hi quidem gradus honorésque recepti in Academiis, & legitimè jam olim a maioribus instituti. Sed quæ causa? dixerit quispiam. Quid opus fuit hos gradus eo ordine conferri? quid obseruari has ceremonias? Cur distincti honorum gradus in eos homines fuerint collati, qui certa studiorum suorum stadia constanti ingenuóque labore decurrerint, tria potissimùm fuerunt in causa judicio meo: primum, ut ipsis de perfuncto strenuè studiorum cursu darentur honorum præmia: secundum, ut aliis omnibus studiosis exemplo consuleretur: tertium denique, ut illa publica & solenni Academiarum testificatione quôdam singulari modo & via commoda Rebuspub. caveretur. Qui enim ad illas statas definitásque studiorum metas summo labore & diligentia pervenerunt, ii non mediocrem illorum fructum percipiunt animo, quum & anteacto labori suo in studiis literarum consumto honorem haberi vident, & testimonium præberi scientiæ quam suo illo labore diligentiáque paraverunt, & legitimas insuper commoditates ad transigendam cum honore vitam sperant & statuunt accessuras. Ac honorem quidem haberi antegressis studiis quantum momenti habeat in publicis & privatis rebus, ut ad ea porrò provehenda, res bene gerendas, vitámque honestè instituendam bonorum animos excitet, inflammet, urat; nemo nisi ignavus & excors ignorare potest. Demonstrant illud puerulorum igniculi, ac potiùs animorum ingenuorum faces, ad honorem atque gloriolam in oculis sodalium & congerronum suorum inardescentes: demonstrant adolescentum προαγωγαὶ καὶ τιμαὶ (quas promotio-

nes dicunt) in vnoquoque studiorum genere ad quod genus animum suum appulerint: demonstrant etiam juvenum virorúmque fortissimorum exempla, quorum mentes & animos vel theatricæ laudationes in vulgo imperitáque plebecula, acclamationes, plausus, significationes faustæ affecerunt recreaverúntque. Quòd si hæc a natura velut esca virtuti humanæ data atque oblata est ut sese honore pascat, augescat, confirmetur; in primis autem eo honore qui præterito jam labore industriáque partus & quæsitus fuerit: qui honor, Deus bone, præ theatrico illo clamore & ventosis vocibus futurus est, si decursus ille studiorum ad suas usque metas feliciter perductorum non in cavea aut circo ab instabili vulgo & imperito numero, sed in Musarum choro a probis & literatis viris afficitur honore meritissimo? Præsertim si non solùm præterito labori suum illud præmium honoris tribuitur, sed indoli, ingenio, & scientiæ: quæ res bonum illum & laudatum juvenem semper comitantur, præeunt, ducunt, regunt, ac confirmant in amplissimis & optimis studiorum suorum fructibus percipiendis cum voluptate, & collocandis cum utilitate publica & sua. Nam his etiam illud accedit tertium, quòd jure & lege viris ejusmodi scientia, probitate, & virtute instructis commoda tribuuntur, quæ omnibus quidem optare datum est, sed literatis solis & testimonio publico ornatis assequi via legitima. Quænam autem illa sunt? officia nempe & beneficia, laudatæ illorum virtutis & honoris illius publici præmia. Officia enim & functiones honestissimæ quibus, obsecro, magis legitimè tum in Academiis, tum in optima quavis Repub. adeóque in Ecclesia offerri & deferri possunt, quàm iis qui sementem laborum suorum literariorum huic agro ad pietatem, virtutem, & utilitatem publicam crediderunt

diderunt? Hæc certè justissima est (ut ita dicamus) illorum messis, quam denuò serunt in functionibus justis oportuno tempore ab Academiis, Rebuspub. & Ecclesiis demetendam. Beneficia verò sive (ut dicuntur vulgo) privilegia cùm publica ex communi jure, tum etiam pro conditione & statu uniuscujusque singularia, quę & quanta ad ipsos perveniant, neque enumerare hoc in loco possumus, neque libet perstringere: id enim versatur in oculis omnium, & bonos malim ex facto ea cognoscere experientiáque sua; quàm inaniter discere prædicatione mea. Sanè ut a bonis viris seruntur officia, sic demetuntur ab illis ex jure beneficia: si non, saltem consolatur ipsos laboris bene occupati, rerúmque benegestarum conscientia: pręsertim cùm illud optimè noverint, nihil a viro bono nisi culpam præstari oportere.

Quod autem re viros illos bonos, forteis, & constantes juuat, id alios quoque exemplo permovet. Nam si cuius fides & diligentia in studiis nostris adhibita judicio & autoritate communi literati consessus in Academia probatur palàm; si prædicatur eruditio, doctrina, scientia, virtus summo labore ac vigiliis maximis comparata; si vehementes honoris stimuli & calcaria ad res porrò bene agendas atque procurandas publicè & priuatim admoventur; si honores amplissimi, officia laudatissima, gravissima beneficia, summáque commoda ex lege & more ostenduntur iis qui tam bene fortitérque versati fuerint in Academiis: quis nisi saxum aut stipes non permoveatur exemplo utili? quis non inardescat & desiderio rapiatur totus, ut sua studia, mores, vitam denique totam instituat in eum modum, & conformet laudatissimis doctorum hominum exemplis, consiliis bonorum salutaribus, & piis Academiarum nostrarum institutis? Themi-

stoclem illum Atheniemsem non sivit quiescere tropæum Miltiadis: & juventutem literarum humaniorum studiis consecratam sinant quiescere a vigiliis, & in ignavia desidiáque obscura torpescere, tam multa & gravia optimorum doctissimorúmque virorum & fortissimorum hominum documenta æternis laudibus dignissima? quorum materia his ipsis studiis literarum parta, in florentissimis Academiis educata, certis honorum gradibus confirmata, in Ecclesiis denique ac Rebuspub. sata & posita, ipsis incredibilem suavissimúmque existimationis fructum, Rebuspub. & Ecclesiis utilitatem maximam, Deo autori omnis boni honorem pepererunt & gloriam amplissimam. ἀγαθὴ δ' ἔρις ἐστὶ βροτοῖσιν, inquit Hesiodus.

Præcipuè verò singulare illud est Academiarum erga Respublicas & Ecclesias Christi officium, quòd & homines commodi agendis rebus utilésque futuri ministrantur, ac testimonio publico ostenduntur eis, & ab incommodis viris atque ineptis ad capessendas functiones publicas præcavetur. Hîc verò non agimus de illis Academiis, in quibus Doctores & Professores, si fortè, neglecta publici officij sui & fidei quam Academiæ dederunt ratione id unum curant, ut ex promotionibus frequentibus ac tumultuariis potiùs quàm legitimis commoda sua promoveant, & ex dispendio publico suum faciant compendium. Id enim qui faciunt, cùm iacturam faciunt fidei & existimationis suæ, tum malo maximo Ecclesias Résquepub. afficiunt turpissimé. Atque hoc vitium, αἰσχροκερδῶν personarum est, non optimarum legum: pseudoacademicorum, ac non Academiarum culpa. Sed nos hîc de ordine publico loquimur, déque fidelibus eorum officiis, qui Spartam hanc, in qua exculti fuerunt ipsi, excolunt sedulò. Magnum profectò præ-

sidium

ſidium eſt & firmamentum Reipub. Academia bene inſtituta, inſtructáque legibus & viris ſuarum legum ſtudioſis obſervantibúſque: vbi probantur & commendantur apti, inepti verò quaſi à tergo relinquuntur, quòd Reipub. aut non ſatis utiles, aut planè inutiles, aut etiam damnoſi futuri eſſent. Ac propterea etiam in ea gradus honorum legitimi & quidam velut cancelli fuerunt diſpoſiti, ſcientiæque diſtributæ, ut quis quam ad rem quouſque Reipublicæ vtilis eſſe poſſit, doctiſſimorum, peritiſſimorum, optimorúmque virorum iudicio publico & teſtificatione communi teneretur. Quas ob res non poſſum equidem quin hoc loco eos moneam, horter, & obſecrem, quibus hæc cognitio jure, lege, & more permiſſa eſt, & quorum judicio, conſenſione, ac autoritate fretæ Reſpublicæ amplissimæ, Principéſque fortiſſimi viros teſtimoniis Academiarum ornatos ad functiones vocare ſolent, & conſiliis ſacris publicíſque gubernaculis adhibere; quàm diligentiſſimè reputent, expendant, & videant quodnam ſit officium ſuum, & quæ religio officii, quæ Rerumpublicarum & Eccleſiarum communis exſpectatio, quæ præſtitæ & ſervatæ fidei in probationibus judiciíſque ipſorum utilitas, quæ denique ſequutura malorum Ilias, ſi fidem neglexerint, aut parui unquam fecerint in hoc argumento: in quo tam neceſſaria eſt religio & fides, quàm ubi maximè. Hac enim culpa commiſſa, dum ſtudent ſibi prodeſſe miſeri, eadem opera & ſuam ipſorum evertunt fidem, & Academiarum dignitatem, honorem, autoritatémque proterunt, & obſunt Reipub. & Eccleſiiis Dei: quod crimen impunè abire non ſinet unquam Dominus. Sed hæc ſatis.

Ceremoniæ autem aſpectabiliáque ſymbola quibus

utuntur Academiæ, etsi his superflua, illis ridicula vitur esse: cùm tamen in rebus fermè omnibus quæ publicam autoritatem desiderant, nonnulla soleant adhiberi, & in his ipsis actionibus jam olim citra superstitionem more & lege fuerint usurpata: non video quid sit in hoc toto actionum genere, quod homines severi magnopere exagitent, aut a quo boni abhorreant. Contrà enim si boni sunt, facilè acquiescent rebus in quibus nihil est mali: sin mali erunt, quid istis cum Academia? Ac in omnibus quidem actionibus publicis aliquid ejusmodi fermè adhiberi nemo homo nescit], nemo vir bonus improbat. Nam humanæ functiones quæcunque sunt, forenses, castrenses, & domi, & foris, publicæ autoritatis symbola & testimonia publica post omnem hominum memoriam inde a prima institutione sua semper habuerunt. Regum diadema fuit: Imperatorum, paludamentum: Consulum & Prætorum, fasces: Ædilium, currus eburnei: Centurionum, vites: omnium in foro, toga: militiæ, baltheus cum gladio: & sexcenta alia. Atque hinc Græcis & Latinis cingendi & discingendi verba, pro eo quod est aptum militiæ hominem renunciare, aut ineptum indignúmve militia. In sacris functionibus & Ecclesiasticis, longè plures adhuc religionis ergô occupatæ fuerunt ceremoniæ, teste universa Scriptura sacra, testibus historiis. Harum autem numero comprehendi oportet Academicas atque scholasticas: quæ vel ab vno Elisæi Prophetæ exemplo (ut taceamus cætera) commonstrantur. Duo enim fuerunt symbola quæ in hunc Elias contulit: unum fuit unctio, donum significans: alterum, abolla prophetica, qua vocationem ejus obsignavit: atque hęc per intervalla ipsi fue-

fuerunt data. Quid ergo? an more solùm exemplóque ceremonias defendimus? aut an omni usu carent? Neutrum profectò dicimus. Etsi hoc in symbolis a Deo imperatis agnoscimus singulare, quòd veritatem suam habebant conjunctissimam: absit autem, ut humanis signis dignitatem eamdem arrogemus. Verumtamen id de humanis symbolis certò possumus confirmare: quæcunque olim fuerunt in his rebus, aut hoc etiam tempore usurpantur symbola & ceremoniæ, iis aut habitum functionemque designari, aut dignitatem beneficiaque dono & functione coniunctæ, aut denique vocationem & initiationem (ut vocant) in ea functione cujus symbola tribuuntur. Hîc verò habitum (quem in rebus sacris singulari quadam ratione donum vocari animadvertimus) habitum inquam liber in Academia, functionem autoritatemque cathedra, dignitatem pileus annulusq; & (quo multi non utuntur hodierno die) cingulum, vocationem & initiationem osculum ac benedictio fausta significant. His rebus quid simplicius afferri potest? quid cum ea re quæ agitur convenientius? At profuerunt vetera, quæ Scriptura teste) olim mandabat Deus: quid prosunt ista? inquies. Primùm ut nihil per se juvant aut prosunt, sic nihil nocent aut obsunt cuiquam, quòd lege imperata sunt & recepta antiquo more sine offensa pietatis aut jactura conscientiæ. Deinde prosunt initiato: nam magis afficitur horum omnium sensu confirmaturque, si justam interpretationem adjeceris. Tum prosunt spectantibus & audientibus: singula enim oculis ipsorum subjecta symbolicè plus eos permovent, quàm si assa voce & nuda in frequente observantium corona proponerentur. Postremò autem prosunt Reipub. quæ hac publica testificatione magis confirmatur de commoditate

eorum hominum, quorum operam ad utilitates publicas conducit adhiberi, quàm si incertis facultatis unius literis ab Academia clam & obscurè datis instructi essent. Literas enim legere & intelligere docti solùm; hęc omnes etiam indoctissimi videre possunt: & illas quidem aut precariò aut furtim vir mendax obtinere, perscriptásque falsarius dare; hæc nunquam nisi præsentes, videntes, sciẽtes prudentes viri boni & docti conferre possunt. Quæ cùm ita sint, non possumus bona fide, quin sapientissimæ illius antiquitatis prudentiam summam & circumspectum judicium in eo ipso admiremur, quod alii contemnendum, alii abolendum grandi supercilio putant.

Caput septimum.

Quæ sint adjuncta studiorum in Academiis, & quæ pugnantia.

NVnc restat, ut quæ adjuncta studiorum in optimis Academiis, & quæ pugnantia sint, explicemus. Etsi autem hic totus de adjunctis locus ad dicendũ est uberrimus: quia tamen Athenis perdiu studia floruerũt, ac proinde eo in loco (si alibi usquã) de adjunctis ad studia literarum commodis prospectum est diligentissimè: proptereà nos, omissis cæteris, ex Pausania solùm dicturi sumus

In Atticis. quæ adjunctorum ratio priscis philosophis olim placuerit, prout ab ipsis ad laudatam illam Academiam fuerũt constituta. Adjunctorum igitur alia fuerunt in Academia, & alia foris. Intus quasi in sacrario Academię, tria visebantur, Minerva, Hercules, olea. Primum igitur & omnium potentissimum significatum illud est, Deum ipsum autorem ac ducem studiorum esse: quod impiæ

illæ

illæ gentes & ἄθεοι Minervæ olim sive Palladis Iove natæ nomine & simulacro figurabant quidem, sed veritatem obscurabant evertebantque veri Dei ignoratione. Quapropter etiam illa ipsa Minerva (ut idem in Bœoticis autor est) Siga, id est, magna apud Cadmi posteros Phœnicia vel Syra voce dicebatur. Huic autem suberat draco pervigil, ad studia literarum vigilias adhiberi monstrans oportere. Hîc enim, ut quum maximè, Deus laboranteis adjuvat, καὶ τὰ μὲν ῥᾴδια, inquit Plutarchus, τοὺς ἀμελοῦντας φεύγει, τὰ δὲ χαλεπὰ ταῖς ἐπιμελείαις ἁλίσκεται. Secūdum fuit Herculis signum: illius puta Libyci, qui cum doctrinæ laude fortitudinem conjunxerat. Est enim Minerva, ut idem Pausanias loquitur, Ἡρακλεῖ σύμμαχος. Heliacorum 2.
fortitudo adhæret literarum studiis, sive colas ea apud te & Musas, ut loquebantur veteres, sive in officiis & functionibus justis eadem occupes: τὸ δὲ ῥαθυμὸν studiorum venenum est. Tertium fuit olea, insigne pacis. Quantum verò pax ad studia juvanda faciat, me tacente res ipsa loquitur: & funesta hæc nostra tempora, quæ per impunem armorum licentiam nefariè insultant literis, hoc ipsum commonstrant (proh dolor) evidentissimé. Atque hæc quidem intestina literarum bona: quorum unum si fregeris, earum studia fregeris atque sustuleris. Ad reliqua veniamus.

In ipso aditu vestibuloque Academiæ stabat Mercurius, pater (ut quidem volebant illi) eloquentiæ, atque ex eo διάκτωρ quasi interpres appellatus. Proximum igitur Academici & literarii illius studii ornamentum est eloquentia & commoda rerum enarratio: qua plurimùm juventus solet ad studia excitari, studentes adjuvari; & viri boni doctrina præstātes emenso studiorum cursu prodesse quàm plurimis, obesse nemini. Ante hunc

ſtabant caſtæ illæ ſorores, Muſæ, humanitatis indices, & animi non immemoris beneficiorum quæ per literarum monumenta ad genus humanum pervenerunt: hæ enim Mnemoſynes filiæ, id eſt, memoriæ dicebantur. Hæc ergo proximè adſtat eloquentiæ, & humaniorum literarū ſtudia cohoneſtat, gratiámq, & autoritatem maximam conciliat eis. Studia enim perpetuam quaſi adſeſtricem humanitatem habent, humanitatem coluntſtudioſiſſimè, & viciſſim ab humanitate coluntur honeſtiſſimè, omnibus officiis: unde ἐλευθέρια, liberalia & humaniora dicnntur vulgo. Tertium adjunctum, quod poſitum fuit ulteriùs petentibus Academiam, fuit ara Promethei: quo ex loco ſtudioſi juvenes cum ardentibus facibus ad urbem vſque ſolebant currere curſu perpetuo: ſed hac lege tamen, ut faces currentium non exſtinguerentur; aut eas aliis ex ordine ferendas traderent, uſque-dum aliquis ardente adhuc lampade in urbem decurriſſet, victoriamque hoc ſigno comparaviſſet. Atque hinc illud proverbium quod vulgo dici ſolet, lampada tradere. Huius autem rei totius ſignificatum eſt, prudentia exercita & labore culta. Prudentia enim ſi non colitur, torpeſcit: ſi colitur & ſubacto ingenio jungitur, facilè victrix exſiſtit omnium, & palmam obtinet in ſuo genere. Quid autem Epimetheo, & bardo rupici (ut ita dicamus) cum literarum luce? Quartum ante ingreſſum in Academiam fuit Amoris ſignum cum ara, quod ſignū Charmus dedicaverat. Amoris autem intelligimus pudici & caſti: vt ſignificaretur animus propenſus & ſingulare ſtudium, quo literati homines erga literarum ſtudia magis ac magis inardeſcunt, ex quo guſtum aliquem ceperunt illius ſapientiæ, quæ & paratur, & augetur, & occupatur ad juſtos uſus ſuos publicos & pvatos earum beneficio.

beneficio. Quintum, & quidem in primis nobile atque copiosum instrumentum, fuit a monumentis, hinc quidem virorum fortium qui res præclaras pro patria gerētes fortiter occubuerāt, illinc verò doctorum hominum philosophorumque summorum, qui scientiæ facem in publico accenderant, & omnibus præluxerant. Hoc autem documentum fuit ab exemplis: quæ in rebus humanis possunt quàm plurimùm tum ad incitandos, tum ad retrahendos & inhibendos eorum animos qui incumbūt scientiis & in actionibus earum occupantur. Historia enim exemplorum index & magistra vitæ, maximum est profectò ad vitam bene instituēdam, literas excolendas, & functiones quasq; publicè atq; privatim obeūdas cum ratione & modo adjumentum. Extimum verò adjūctorum omnium ante Academiam illud fuit, quo significabatur, imperabatur juventuti, observabaturq; corporum exercitatio: sine qua etiam præclara quævis ingenia solent torpescere. Atque hinc factum est, ut rudes & illiterati homines ἀπάλαιστοι Græcis dicerentur. Hujus exercitationis corporibus salutaris, animis verò non inutilis documenta fuerunt duo ad Academiam. Vnum fuit Dianæ septum, cum signis (ait Pausanias) Ἀρίστης καὶ Καλλίστης, vel potiùs ordine inverso, Καλλίστης καὶ Ἀρίστης (sic enim magis dixerunt Græci καλὸς κἀγαθὸς quàm contrà): id est, Dianæ honestissimæ & optimæ, non autem inhonestæ & sceleratæ exercitationis, literis humanioribus, earumque castitati inimicissimæ. Alterum fuit palestræ sive gymnasij propriè appellati, cui vacans à studiis juvētus aliquid temporis commodè utilitérque solebat tribuere. Sic & equestris, ut ad venationem est, & pedestris, ut ad palæstram, exercitatio salubris maximè adhibebatur, quod sine damno incommodóq; studiorum poterat

fieri. Atque hæc quidem adjuncta Atticæ illius Academiæ fuerunt ornamenta: quæ siquis a nostris Academiis abesse volet, ne ille funditus eas everterit.

Quid enim? nónne literarii hujus studii autor est Deus, & pietas in Deum arx quædam & caput literariæ illius sapientiæ? nónne cætera illa quæ modò fuerunt a nobis posita tam sunt ad hanc rem necessaria, sed suo tamen ordine singula, quàm quæ maximé? Fortes animi contendũt strenuè & feliciter assequũtur, quod ignavi ne per somniũ quidem cogitant. Pax & ἀπραξία studia literarum promovet, quæ frangit perturbatio. Eloquentia juventutem suaviter perducit eò liberalitate & comitate juncta, unde morosa deterret barbaries atque asperitas. Studia humanitate juvantur, eaque vicissim juvat & comit (ut ita dicamus) humanitas. Prudentiam humanæ scientiæ principem in cernendis & agendis rebus summa consensione veteres appellabant: eamdem verò scientiam aries inimicissimus labefactat & perdit, imprudentia. Amore & ardente studio foventur literæ: sed quid odio tetrius? quid tam exitiale est quàm invidia studiis humanioribus? Exẽpla honorum, & honores ipsi (ut vulgo dici solet) alunt artes: at inscientia pereunt, contemtu sordescũt, & rubigine quadam obducuntur indignissimé. Denique honestæ & mediocri exercitatione juvantur animi ad literarum studia: verùm si ad laborem plus æquo contenderis, franguntur: si plus remiseris, segnescunt & otio diffluunt in perniciem suam.

Vtriusq; verò argumenti, adjumẽtorum inquã eorum quæ proficiunt, & impedimẽtorum quæ officiunt studiis humanioribus atq; adversantur, exempla evidentissima hæc nostra memoria suppeditat. Iãdiu enim seculo ampliùs vno floruerũt literæ, ex Græcia in Italiã primũ, inde autem

autē in regiones finitimas singulari Dei beneficentia cōmigrantes. Sed ex quo tēpore impietas revicta autoritate Dei & Scripturæ sacræ incepit furere, qui tandē studiorū fructus? qui Academiarum cultus percipi aut sperari potest? Grassatur impietas plus quàm Liciniana foris: intus ignavia (si dicere fas est) Libethria hodierno die invadit omneis plateas, & in domibus penè singulis sobolescit: perpetuum est turbarum æstuarium & insanus quidam Euripus, quem foris perflans a Gigantibus & Centauris omni ex parte Cæcias permovet, intus ambitiosorum & ἀσπόνδων hominum intemperantia. Proba, sana illa, & incorrupta Atticorum priscorum eloquentia & lepos Atticus jam fermè exsulat, & a duro parasitorum & scurrarum ore frigidam potentioribus suffundentium adeò miserè profligatur, ut nihil prꝫter illud Aristophanis ἀτεχνῶν βλέπεις mox sit futurum reliqui, nisi Deus prospexerit, & bonos confirmaverit salutari manu. Humanitatem inhumanitas expellit palàm, motuum frequentia, armorum licētia, assentatorum ἀλαζόνων fumo, potentiorum tyrannide: qui tum demum homines sibi videntur esse, quum (vt Aristodemus ille Cumanus apud Dionysium Halicarnasseum) id unū satagunt, ut literarum studia intercidant, & homines facti ad imaginem Dei in brutas pecudes transformentur. Præcoci prudentiæ, & civili, & sanctæ succedit scelerosa, profana, demens imprudentia, & juvenile consilium, tyrannidi & licentiæ cuivis conuenientissimum. Succrescit odium & invidia in literas & literatos omneis per imperitiam vulgi, Suffenorum cacozeliam, importunorúmque ἀρεταλόγων malitiam, veneno calumniæ & detractionis omnia quamvis purissima inficientium. Honores auferuntur dignis, indignis scurris & libidinis voluptatúmq; administris certatim of-

ferũtur. Deniq; comiſſationes, cõpotationes, aleationes, teſſerę, ludi ἀπάλαιστοι, omnia ἀσελγῆ & Sybaritica curãtur potiùs, quã honeſtæ corporũ exercitationes ad animi confirmationem pertinentes, ſtudiorũmque ſanctorum adjumentum. His tot & tantis malis quis non indoleſcat bonus? quis Academias intermorientes non lugeat?

Quæ cùm ita ſint, nunc certè, ſi ullo unquam tempore, neceſſe eſt omnes ii qui boni eſſe & haberi volunt, neruos omneis contendant ingenii, ut his legitimis omnibus adjumentis, ſepoſito omni privato ſtudio & perturbatione, confirment labentes Academias, earúmque elementa, inſtrumenta, diſciplinas, facultates, honores, ornamenta, commoda, pro eo ac poſſunt, promoveant quàm fideliſſimè, atque a fraudibus Satanæ, inimicorum impreſſionibus, & hypocritarum cuniculis defendãt propugnentque religione ſumma. In primis autem Deum ſtudiorum noſtrorum autorem, ducem, & arbitrum ſinguli ſtudioſè caſtè adeuntes orent, vt miſertus iſtorum miſerrimorum funeſtiſſimorúmque temporum nutantes Academias & gravem ruinam minantes ſtatuminet, collapſas erigat, omneis vindicet ab omni malo, eáſque bonis omnibus augeat quæ ad gloriam ſuam, commune bonum, & ſuorum ſalutem novit pertinere. Tu igitur, Domine aſpice & fac. Amen.

FINIS.

TYPOGRAPHVS
LECTORI.

Edito elegantissimo hoc D. D. Junij de ACADEMIA *libello, visum est singularum Academiarum quæ in orbe Christiano sunt brevem subiungere catalogum: quo patria earum nomina, ortus, & situs ex Ptolemæo describuntur. Vale.*

ANGLIAE.

OXONIENSIS, Ptol. Caleva, vulgò *Oxforde*: quam instituit Aluredus, Saxonum Rex, annò Christi 872. Posteà verò ex multorum Principum & Præsulum beneficentia, amplissimis structuris, redditibus, & privilegiis ornatur: habétque iam collegia XVI. aulas etiam VIII. singula ædificiorũ splẽdore magnificentissima, ac bonarum literarum artiúmque omnium studiis florentissima.

Cantabrigiẽsis, vulgò *Cambridge*: in qua primum Collegium instituit Batsomus, Eliẽsis Episcopus, anno 1274. Habet iam collegia XI. aulas etiam IIII. eaque omnia ædificiorum celebritate præstantissima. Habuit etiam antea scholam publicam peraugustam (in qua philosophia, humanioresque disciplinæ tradebantur) à Sigeberto, Estanglorum Rege, constitutam, anno 637.

BOHEMIAE.

Pragensem, *Prage*, exstructam à Carolo Quarto Imperatore, anno 1370 teste Æneâ Sylvio de gestis Bohemicis. eius long. 32. grad. lat. 50. grad. 6. minut.

Andegavensem, *Angiers*, in Comitatu Andegavorum. eius long. 13. 49. lat. 460.

Auenionensem, *Auignon*, in Gallia Narbonensi, ad Rhodanum. Huc Ioannes xxii. Pontifex Max. curiā Pōtificiam Roma transtulit, quæ annos 60. ibi mansit, floruitque tū Academia, anno 1360. eius long. 22. lat. 45. 52.

Aurelianensem, *Orleans*, ad Ligerim fl. in Ducatu Aurelianensi: constructam ab Aureliano Duce, anno 1276. eius long. 15. 36. lat. 47. 13.

Bituricensem, *Bourges*, quam ante multos annos construxit Dux quidam Bituricensis. eius long. 18. lat. 45. 30.

Burdigalensem, *Bourdeaux*, ad Garumnæ fl. ostium, in Ducatu Aquitanico. eius long. 18. lat. 45. 30.

Dolanam, *Dole*, in Burgundiæ Comitatu, ubi pro toto Comitatu celebratur Parlamentum. eius long. 21. 25. lat. 45. 10.

Duacensem, *Douay*, in finibus Hannoniæ & Artesiæ. Hanc instituit Philippus Hispan. Rex, sub annum 1558. eius long. 24. 30. lat. 52. 50.

Montem Pessulanum, *Montpelier*, in Provincia Narbonensi, olim Iurisprudentiæ, nunc Medicinæ studio florentem. eius long. 20. 46. lat. 43. 5.

Nannetas, in Britannia superiori versus Oceanum Cantabricum, vulgò *Nantes*. eius long. 1. 6. lat. 48. 12.

Parisiensem, seu Lutetianam, *Paris*. Hanc Alcuinus in Grandchestria, Britonum Academia, prope eam quæ nunc Cantabrigia dicitur, educatus, instituit; Consummauit autem Carolus Magnus, anno 791. teste Volaterrano. eius long. 17. 8. lat. 47. 55.

Pictauiensem, *Poictiers*, Ptol. Augustoritum; Pictonum

num metropolin. ſita eſt in Pictonum Comitatu. eius long.17.50.lat.48.20.

Rhemenſem, *Reims*, Campaniæ metropolis, in qua Reges Franciæ conſecrantur. hanc ante paucos annos erexit Carolus Lotharingiæ Cardinalis. eius long. 18.55. lat.48.45.

Toloſanam, *Toulouſe*, in Comitatu Toloſano, in qua maximè floret iuriſprudentia. Hæc ſtatim poſt Lutetianam incepit. eius long.17.lat.43.32.

Valentinam, *Valence*, prope Rhodanum fl. in Allobrogum Ducatu, qui nunc Sabaudiam & Delphinatum complectitur. eius long.26.9.lat.42.6.

GERMANIAE.

Argentinenſem, alias Argentoratenſem, *Straſburg*, in Alſatia, eius long.24.30.lat. 48.5.

Baſilienſem, *Baſel*, quam Pius 2. qui ex Concilij Baſilienſis ſcriba electus eſt Papa, erexit anno ſui Pontificatus 2. id eſt, 1459. vt ex eiuſdem literis confirmatoriis patet. eius long.24.22.lat.47.41.

Colonienſem, *Colen*, ad Rhenum fl. inſtitutam anno 1398. ſub Vrbano Pontifice. eius long.23.28. lat.51.

Dilinganam, *Dilinghe*, in Bavaria ſuperiori, Ieſuitarum inſigne aſylum. Hanc inſtituit Epiſcopus quidam Auguſtanus, anno 1549.

Elmſtadianam, *Elmſtad*, in Ducatu Brunſvvicenſi, quam ante ſexennium fundavit Iulius iam Dux Brunſvvicenſis, à quo etiam Iulia dicitur. eius long. 28. lat. 52.54.

Francfordiensem, *Francford*, ad Viadrum fl. in Marcha Brandeburgensi constructam anno 1206. eius long. 32. 34. lat. 52. 33.

Friburgensem, *Friburg*, in Brisgoia Rhetia: quam condidit Albertus Austriacus, anno 1460. eius long. 24. 38. lat. 48. 13.

Gripsvvaldensem *Gripzwald*, in Ducatu Pomeraniæ. Initium cepit anno 1457. vt scribit Bentherus in Ephem. Hist. eius long. 31. 56. lat. 54. 18.

Heidelbergensem, *Heydelberg*, quam exstruxit Rupertus I. Palatinus Rheni, anno 1387. eius long. 25. 38. lat. 49. 45.

Ingolstadiensem, *Inglestad*, in Ducatu Bavariæ: quæ ex Viennensi Austriæ incœpit anno 1210. eius long. 29. 6. lat. 48. 42.

Lipsensem, *Leipzig*, in Misnia, quam Teutones, supra duo millia, propter exortas Hussitarum contentiones, à Praga vno die discedentes, triúmque dierum itinere illinc profecti, erexerunt, anno 1408. eius long. 29. 58. lat. 51. 14.

Lovaniensem, *Louen*, quam instituit Iohannes Dux Brabantiæ, anno 1426. eius long. 20. 36. lat. 59. 59.

Lugdunensem, seu Logodunensem Batavorum, *Leyden*: prope occidentale Rheni ostium, à Gulielmo Aurasino Principe inauguratam, circiter annum 1574. eius long. 26. 40. lat. 53. 30.

Marpurgensem, *Marpurg*, in Hassia, institutam à Philippo Lantgravio, anno 1535. eius long. 25. 45. lat. 51.

Moguntinam, *Mentz*, Germanicarum fere antiquissimam: in qua laudabilis illa, & utilissima ars impressoria per Iohannem Faustum inuenta est, circiter annum 1453. eius long. 25. 4. lat. 50. 8.

Mon-

Montem Regalem, *Konigsberg*, in Prussia, quam condidit Albertus Dux Brandeburgensis, anno 1544. teste Ebero in Calend. eius long. 41.16. lat. 54.17.

Rostochiensem, *Rostock*, in Ducatu Mechelburgio, quæ ex Erphordiensi initium cepit. anno 1419. eius long. 30.14. lat. 54.36.

Treverensem, *Trier*, inter Germanicas vetustissimam. eius long. 26. lat. 49.10.

Tubingensem, *Tubinghe*, in Ducatu Wirtenbergensi, quam exstruxerunt Euerardus Comes Wittenbergensis, eiusque mater Melchtildis, anno 1447. eius long. 26. 23. lat. 48.38.

Viennensem, *VViena*, in Pannonia superiori, Austriæ Metropolin, constitutam à Rodolpho Austriaco, anno, 1363. eius long. 35.8. lat. 48 22.

Wittenbergensem, *VVittenberge*, in Ducatu Saxoniæ: quæ sub Frederico Saxoniæ electore incœpit, anno 1502, eius long. 30.30. lat. 51.50.

HISPANIAE.

Complutensem, vulgò *Alcala*, de henares regno Castiliæ, quam instituit Episcopus quidam Toletanus. eius long. 10.20. lat. 41.40.

Granatensem, *Granada*, Ptol. Illiberin, in Hispania Bætica. eius long. 8.34. lat. 39.50.

Leridensem, *Lerida*, Ptol. Ilerda: in Hispania Tarraconensi. eius long. 56. lat. 41.46.

Ostensem, seu Oscensem, vulgò *Huesca*, in Hispania

Siguntięſem, vulgò *Ciguenca*. eius lõg. 14. 50. lat. 39. 30.

Toletanam, *Toledo*, in regno Caſtellę: ubi Alfonſus 10. Hiſpaniarum rex. 29. tabulas Aſtronomicas fecit circiter annum 1260. eius long. 9. 4. lat. 39. 55.

Valliſolitanam, ſeu Pincienſem, vulgò *Valladulit*, in Caſtellæ regno. eius long. 10. 10. lat. 42. 0.

Lullianam, in urbe Mallorca, inſulæ Maioricæ (quæ altera eſt *Balearidum*) metropoli: nomen porrò ſumſit à Raymundo Lullio, qui ibidem natus & educatus eſt. eius long. 16. 45. lat. 39. 15.

ITALIAE.

Bononienſem, olim Bolonia, vulgò *Bologna la graſſa*, in Romandiola: quam erexit Theodoſius Imperator, circiter annum 447. vt ſcribit Volater. Sed temporis progreſſu ferè dirutam, reſtaurauit Carolus Magnus, circiter annum 806. eius long. 32. 5. lat. 43. 54.

Ferrarienſem, *Ferraria*, in Ducatu Ferrarienſi. eius long. 32. 15. lat. 44. 23.

Florentinam, vulgò *Florencia*, in Tuſcia. eius long. 33. 30. lat. 43. 4.

Mediolanenſem, vulgò *Mylano*, in Langobardia. hæc Virgilij etiam tempore, quem in ea boni literis operam navaſſe ſcribunt, fuit percelebris. eius long. 28. 20. lat. 45. 6.

Patavinam, vulgò *Padua*, in Marcha Trevizana, à Carolo Magno inſtitutam, anno 791. in hac urbe natus eſt hiſtoriæ parens, Titus Livius. eius long. 32. 50. lat. 44. 30.

Papienſem, vulgò *Pauia*, in Langobardia. Hanc urbem Carolus Magnus, ab Adriano Pontifice in Italiam, adverſus Deſiderium Regem Langobardicum evocatus, obſedit, anno 773. ibique nobilem poſteà Academiam

miam constituit, circiter annum 800. eius long. 28.22 lat. 44.50.

Perusinam, Ptol. Perusia Augusta, vulgò *Perusca*, in Tuscia. eius long 35.18. lat. 42.56.

Pisanam, *Pisa*, in Tuscia, quam Volaterranus scribit à Pontifice Max. fuisse inauguratam, anno 1339. eius long. 31.28. lat. 42.22.

Romanam, *Roma*, olim terrarum Dominam. Hæc primò (vt habent annales, & Historici) ex Athenarum reliquiis Academia esse cœpit, anno 700. Posteà verò paulatim corruentem instauravit auxitque Eugenius 4. qui passim in Europa Academias ornavit & instituit, ut scribit Sabellicus. eius long. 36.40. lat. 41.40.

Senensem, vulgò *Sena*, in Tuscia: ab urbe Roma centum miliaribus dissitam. eius long. 348.18. lat 42.50.

Taurinensem, Ptol. Augusta Taurica, vulgò *Turin*, in Ducatu Pedemontano: quæ olim, cum Duces Allobrogum eam tenuerunt, erat florentissima. eius long. 30.32. lat. 43 40.

LVSITANIAE.

Conimbriensem, seu Colimbriensem, vulgò *Coymbre*; propè littus Oceani Occidentalis. Hanc autem fundauit Iohannes III. Rex Portugalliæ. xv. & Catharina eius uxor, soror Caroli. v. circiter annum 712. eius long. 11. 48 lat. 40.3.

POLONIAE.

Cracoviensem, seu potiùs Graccoviensem à Graccho

potiùs triviales, quàm academias numeranda. eius long. 35.18.lat.52.4.

SCOTIAE.

Aberdonienſem, *Aberdein*: portũ habet ad littus maris Germanici optimum. hanc Alexander Rex, cum ſorore Iſabella, ab Anglia tum nuper reverſa, multis ornavit privilegiis circiter annum 1240. eius long. 19.146.lat.64.15.

Glaſquenſem, *Glaſquo*, inſtitutam à Turnbullo, Glaſquenſi Epiſcopo, anno 1454. eius long. 16.43.lat.59.40.

S. Andreæ, *S. Adrewes*, quæ ſub Iacobo Rege, in Anglia profugo, inaugurata eſt, anno 1411. eius long. 18.29. lat.61.3.

FINIS.